4° H.pol. 153 a

Staatl. Bibliothek
Regensburg

Hist 153. a.

Ad Usum P. Josephi Kayser,
S. O. P.

Ex publica Licitatione Ratisb.
1769.
N. 832.

AD

NVMISMATA

REGVM VETERVM

ANECDOTA, AVT RARIORA

ACCESSIO NOVA

CONSCRIPTA

AB

ERASMO FROELICH

SOC. IESV.

FRANCISCO

ROM. IMP. AVG.

SVBMISSISSIME DEDICATA

AB

IOANNE VDALRICO

L. B. DE THAVONAT

CVM SVB AVGVSTISSIMIS AVSPICIIS

TENTAMEN PVBLICVM

IN REGIO THERESIANO S. I. COLLEGIO

SVBIRET EX DISCIPLINIS

PHILOSOPHICIS, HISTORICIS, ET MATHEMATICIS

AN. SAL. M.DCC.LV. MENSE SEPTEMBRI.

VIENNAE AVSTRIAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER

CAES. REG. AVL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

DICCIONARIO
ESPAÑOL
LATINO

AVGVSTISSIMO
INVICTISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI
FRANCISCO
ROMANORVM
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO
GERMANIAE ET HIEROSOLYMORVM
REGI
DVCI LOTHARINGIAE, ET BARRI
MAGNO DVCI HETRVRIAE
MARCHISIO
DVCI
CALABRIAE, GELDRIAE, MONTIS FERRATI
IN SILESIA TESCHENAE
PRINCIPI CAROLOPOLIS
MARCHIONI
MVSSIPONTI ET NOMENEI &c.
DOMINO DOMINO
CLEMENTISSIMO.

ELEMENTARIO

DOMINO DOMINO

PRINCIPI CUBOLOGIE

ELEMENTI

DE

CUBI

ELEMENTARZ

KOSTKOWY

ELEMENTARZ

O

KOSTCE

AVGVSTISSIME

IMPERATOR

DOMINE

DOMINE CLEMENTISSIME!

Divinæ Majeſtatis, ac ſapientiæ illuſtria documenta nequaquam ex ingentibus duntaxat cœleſtium corporum molibus, ſtatisque converſionibus, ſed

ex minutiſſimis perinde, qui humi reptant, vermiculis elucere, atque admirabilem illam ſupremi Numinis Providentiam ac Bonitatem, ad iſta non minus, atque ad prægrandia illa, ſe ſe porrigere, cum Chriſtiana philoſophia omnis agnoſcit, & profitetur: tum idem TV, ceteris etiam felicius, IMPERATOR ſapientiſſime! conſequeris.

TV enim vero Romani Imperatoris præcipua illa dignatione ac majeſtate, non modo, ceteris etiam præ Principibus, aſpectabilem DEI Optimi imaginem, excellente quadam ratione in terris refers; ſed ea etiam parte Divinæ ſapientiæ proto-

prototypon imitari, quoad homini fas est, magno animo adlaboras, qua ad exigua æque, ac ad magna Providentiam, ac Munificentiam TVAM vere Augustam extendis. Quod cum in aliis rebus omnibus, tum in illis præcipue, quæ ad reipublicæ civilis ac literariæ incrementa faciunt, efficacissime, atque cumulatissime præstas.

Infantiæ meæ vires excedit, vel commemorare ea omnia, quæ Augustis curis, atque sumptibus etiam TVIS, concordibus nempe cum AVGVSTA CONIVGE boni publici studiis, ad scientiarum splen-

dorem, & augmentum contuliſti. Caput undique altius Auſtriacis in terris extollunt Muſæ, ſplendidoque Vindobonæ palatio coboneſtantur. Theſaurus, qua avitus ille Auſtriacæ gentis, ordinem, lucemque publicam nactus, qua recens, TVO ſtudio, TVOque ære conquiſitus, auri, argentique vim immenſam complexus eſt, cui ſimile nihil, his in opibus, vidit Europa, nec fortaſſe videbit. Experimenta Chemico-Phyſica, lapidum omnis generis incredibilis gaza, & admirabilis ordo, machinæ novæ, machinarumque acciti magiſtri, atque centum alia, AVGVSTORVM ad promovendas bonas artes inexhauſtam largitatem, Sapientiam,

ac

ac Providentiam, ad omnem futuri ævi memoriam prædicabunt.

Enumerandis porro grandibus hisce beneficiis impar, ad minora, quæ nihilo tamen minorem AVGVSTI Munificentiam, ac Sapientiam ostendunt, libens descendo, meque recentissimum ingentis erga exiguum clientem Gratiæ, ac Liberalitatis specimen, ad Majestatis TVAE Thronum de genibus sisto. Video in me pusilla omnia: ætatem, scientiarum aliquot non nisi tirocinium, certamen literarium incerti exitus, libelli, quem Majestati TVAE submisse offero, molem exiguam: nihil est

isthic,

isthic, quod AVGVSTISSIMO FRANCISCI IMP. Nomine, atque Auſpiciis reſplendere mereatur. Unum eſt, quod me denique aliquantum erigat, THERESIANI me collegæ nomine gloriari, qui norim, quidquid THERESIANVM eſſet, id FRANCISCO AVGVSTO, & vero etiam univerſo orbi exiguum haberi non poſſe.

Illud etiam opportune accidit, ut de Numis antiquis præſens libellus tractaret, quorum cognitio TIBI AVGVSTE, a teneris in deliciis fuit, hodieque eſſe non deſinit. Neque alia veterum numiſmata

mata, quam regnantium Principum, eaque admodum rara TIBI IM-PERATOR *dicanda erant, quem Principum Principem, rarumque Virtutum, ac Sapientiæ inter Monarchas exemplum lætus orbis miratur.*

Verum ſi quid in his magnum ſeſe offert, TVVM *eſt* AVGVSTE! *atque in* TE *ſplendoris originem agnoſcit: meum vero magnum dici nihil poteſt, præterquam accepti abs* TE *beneficii magnitudo. Utinam* DEUS *omnium bonorum auctor eas mihi vires, ac facultatem ſufficiat, ut ſincera grati, ac devotiſſimi animi mei deſideria factis ipſis aliquando,*

præſtitisque AVGVSTAE DO-
MVI LOTHARINGO-AV-
STRIACAE *fideliſſimis obſequiis*
ad uſque vitæ finem explere, con-
teſtarique valeam.

CAES. REG. MAIEST.
TVAE

Clientum Infimus,

IOANNES VDALRICVS
L. B. DE THAVONAT.

AD LECTOREM.

Anno abhinc tertio, ex eodem hoc Theresiano Nobilium Regio Collegio, Societatis noſtræ moderatoribus commiſſo, editum eſt opuſculum, *Regum Veterum numiſmata anecdota, aut perrara, notis illuſtrata* complectens. Inſcriptum id fuerat Auguſto, ſummoque MARIAE THERESIAE Imperatricis, ac Reginæ Nomini, dum Illuſtriſſimus Dominus FRANCISCUS ANTONIUS S. R. Imp. Comes de KHEVENHÜLLER publicum variis e ſcientiis tentamen in prædicto Collegio, non ſine maxima laude, ſubiret, AVGVSTA ipſa, cum Sereniſſimo Cæſareo - Regio Principe, & Archiduce IOSEPHO, præſentia ſua certamen illud condecorante.

Libellus porro ille cum non diſplicuiſſet eruditis, ac diverſas in regiones dilatus eſſet; pervenere ſubinde ad me doctiſſimorum quorundam Virorum epiſtolæ, queis vel nova regum numiſmata, publicæ luci vindicanda

ſubmiſerant, vel docuerant, quæ in detritis aliqua ſui parte numis, ſaltem in uno alterove, a me haud feliciter lecta, atque adeo emendanda videbantur.

Ego, qui a me humani nihil alienum puto, libenterque retracto ea, quæ a me peccata ſunt, non animo malo, ſed aut eruditionis, aut attritorum numorum defectu, ſummis illis Viris, quos hujus opellæ decurſu cum honoris præfatione appellabo, plurimum me debere, libens merito profiteor.

Præſenti igitur in libello & nova regum veterum exhibentur numiſmata, & quod in priore illa opella erratum, vel minus diligenter tractatum agnovi, iſthic emendare ſupplereque ſum conatus. Fruere erudite Lector, & fave.

AREUS

AREUS
SPARTANORUM REX.

Caput Herculis (potius quam regis,) rictu leonino tectum, vultu imberbi.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΟΣ. *Regis Arei.* Juppiter feminudus ſedens, d. aquilam, s. haſtam puram. Intra ſellam monogramma. *Argenteum numiſma tetradrachmum. Venetiis in Cimelio Excell. Marchionis Antonii Savorgnan. Vide Tab. I. Fig. I.*

SIngulare hoc, & perelegans numiſma, non antea, quod norim, vulgatum, citra dubium adſcribo AREO Spartanorum regi, ejus nominis vel priori, vel re ipſa unico; nam AREUS alter octennis

puer deceſſit. Ipſa numiſmatis hujus ſpecies omnis ab ſe loquitur: AREUM hunc aut Alexandri Magni, aut propinqua ætate, regis nomen, atque munus geſſiſſe. Prior vero AREUS Spartæ rex Seleuco I. Nicatori, Syriæ regi, ſynchronus fuit, cujus Seleuci, uti & Alexandri Magni, & Philippi Aridei, ſimillima noſtro, eaque complura, in cimeliis argentea extant numiſmata.

AREI noſtri verum *nomen*, *genus*, ac *ſucceſſionem* ex PAUSANIA, PLUTARCHO, & ANONYMO *Græco Meurſiano* condiſcimus: tempus inchoati, finitique regni præcipue DIODORO SICULO debemus, cujus exemplaria apographa, ex prædictis hiſtoricis facili negotio, tutoque corrigi poſſunt. Videamus ſingula. Nomen Regis hujus Lacedæmonii certum eſſe: Ἀρεὺς, Ἀρέος, vel Attice: Ἀρέως, AREUS, AREI, numiſmati omnino conſentientes produnt hiſtorici, qui AREI genus enarrant. PAUSANIAS binis locis ita de AREO noſtro, velut ex profeſſo genealogiam ejus evolvens, per-

perſpicue tractat: (a) „ E Cleombroti libe- „
ris natu major Ageſipolis nihil omnino geſ- „
ſit memoratu dignum. Eo mortuo natu „
minor Cleomenes regnum adiit, qui cum „
filios duos Acrotatum, & Cleonymum ſuſ- „
cepiſſet; ita forte accidit, ut Acrotatus „
patrem ſibi ſuperſtitem reliquerit. Cumque „
poſtea Cleomenes e vita deceſſiſſet, inter „
Cleonymum, Cleomenis filium, & AREUM „
filium Acrotati, de regno coorta lis eſt. „
Ibi cum ſenatus paternum regnum AREO „
adjudicaſſet, Cleonymus ſibi illum præla- „
tum tam indigne tulit; ut eum Ephori ne- „
que aliis præmiis decretis, neque exercitus „
delato imperio unquam placare potuerint. „
- - - - AREO vero Acrotati filio regnante, „
Antigonus Demetrii filius Athenas terreſtri- „
bus, maritimisque copiis oppugnare aggreſ- „
ſus eſt &c. „

(a) PAUSANIÆ *Græciæ deſcriptio: Laconica, ſeu Liber III. Cap. VI. pag. 217. edit. Lipſiæ: conſtanter* Ἀρεὺς *ſcribitur:* Ἄρευς ὁ Ἀχροτάτου . . . . Ἄρει τῷ Ἀχροτάτου . . . . . Ἀρέως δὲ ἐγένετο υἱὸς Ἀχρότατος, τοῦ δὲ Ἀρεύς.

Paullo inferius ita genealogia AREI continuatur: „ AREO Acrotatus gignitur: Acrotato minor AREUS: is annum agens octavum morbo conſumtus eſt. Deficiente jam Euryſthenis ſtirpe maſcula, Leonidæ, Cleonymi filio, Lacedæmonii regnum dant. - - - - Leonidas ſe regno abdicare coactus atque ejus loco Cleombrotus honore illo potitus fuit. (Cleombrotus filiam Leonidæ duxerat) - - - - - De Cleomenis autem Leonidæ filii audacia, & animi magnitudine, & quemadmodum in eo defecerit Lacedæmoniorum regnum, cum de Arati Sicyonii rebus geſtis ageremus, affatim multa diximus.

Similia uſque ad AREUM priorem PAUSANIAS alibi refert. (*b*) Eandem plane a Cleombroto genealogiam, ad Cleomenem Leonidæ filium, recenſet PLUTARCHUS, (*c*) qui præ-

(b) PAUSANIÆ *Attica, ſeu Liber I. Cap. XIII. pag. 32.*

(c) PLUTARCHUS *in vitis parallelis, in Agide, & Cleomene, pag. 796. & 797. edit. Pariſinæ 1624. Græce & Latine.* Ἀλλ' Ἀρεὺς υἱωνὸς ὢν Κλεομένους, Ἀχαϊκοῦ δὲ υἱὸς Ἀρεὺς. - - - -

præterea nos docet: AREUM ad Corinthum occubuiſſe; tum AREI junioris (qui Acrotati filius erat, AREI nepos) tutorem egiſſe Leonidam, Cleonymi filium. En verba Hiſtorici: „ Cæſo ad Corinthum AREO, regnum ad Acrotatum ejus filium devenit, „ qui etiam in pugna apud Megalopolin ce- „ cidit, fuſus ab Ariſtodemo tyranno: reli- „ quit uxorem gravidam; nata autem prole „ maſcula (*Areo juniore*) tutelam ejus Leo- „ nidas, Cleonymi filius, obtinet. „

Multa deinde PLUTARCHUS alibi memorat (*d*) de Cleomene III. Leonidæ filio, contra Aratum Sicyonium, reipubl. Achæorum prætorem, belligerante. Hæc Arati, & Cleomenis bella *Olympiade CXXXIX.* coorta eſſe, docte oſtendit THEOPHILUS SIGEFRIDUS BAYERUS. (*e*) Præterea PLUTARCHUS (*f*)

(d) *Idem in Arato: pag. 1047. &c.*

(e) *In Commentariis Academiæ Scient. Petropolitanæ Tomo V. pag. 404. & 405.*

(f) PLUTARCHUS *in Pyrrho pag. 400. &c. ubi memorat: Areum ex Creta rediiſſe adverſus Pyrrhum, contra quem interea Acrotatus, Arei filius, egregie pugnaverat, & cum Lacedæmoniis ſuis Patriam tutatus fuerat.*

bellum Pyrrhi, contra AREUM, Cleonymi cauſa ſuſceptum perhibet, quod PETAVIUS (*g*) rite ad *Olympiadem CXXVII.* refert. Denique ex PAUSANIA vidimus, AREUM jam regem fuiſſe eo tempore, quo Cleonymus belli dux factus, ut placaretur de regno non obtento, Tarentum miſſus eſt: id fuit *Ol. CXIX. an.* 2.

Item in PAUSANIA rex AREUS memoratur, dum Demetrii Poliorcetæ filius Antigonus Athenas oppugnavit, quæ res exeunte *Olymp. CXXVII.* evenit. (*h*) Pauca hæc tempora, hic laxius ſumta, interea adduco, ut ex iisdem DIODORUS SICULUS emendetur, atque ita emendatus annos AREI certiores nobis ſuppeditet. Proponam hic ſchema chronologico-genealogicum, ex hactenus comprobatis: adjungam porro prævie annos regni AREI, deinde ſtabiliendos ex DIODORO.

CLEOM-

(g) PETAVIUS *de doctrina temporum Lib. XIII. ſeu in Chronico, pag. 342. Edit. Antverp. 1703.*

(h) SALIANUS *in Annalibus V. T. ad an. Mundi 1785.*

CLEOMBROTUS REX.

AGESIPOLIS Rex, regnat anno uno, Olymp. CII. anno 2. & 3.

CLEOMENES II. Rex, Olymp. CII. ann. 3. Obit Olymp. CXVII. an. 4. regnavit annis LX. Menſib. X.

ACROTATUS obiit vivo Patre.

CLEONYMUS regno excluſus per Areum. uxor CHELIDONIS.

AREUS I. Rex poſt Cleomenem avum Olymp. CXVII. an. 4.
Ol. CXIX. an. 2. Cleonymus dux fit belli Tarentini.
Ol. CXXVII. ineunte Pyrrhum Sparta repellunt Areus, & Acrotatus filius.
Ol. CXXVII. an. 4. Areus Athenis obſeſſis ſuccurrit.
Regnavit annis XLIV. Obiit Olymp. CXXVIII. exeunte, ad Corinthum occiſus.

LEONIDAS primum tutor Arei II.

Deinde Rex, jam grandis natu, ut habet PAUSANIAS: *παντάπασιν ἤδη γέρων.*

ACROTATUS fortis contra Pyrrhum Ol. CXXVII.
Rex, Patre mortuo, Ol. CXXVIII. exeunte.
Perit ad Megalopolin, relicta uxore gravida, circa initium Olymp. CXXIX.

CLEOMENES III. Rex poſt Cleombrotum bellat contra Aratum & Achæos Olymp. CXXXIX.

N. Filia nupta CLEOMBROTO, qui Leonidæ regnum eripit.

AREUS II. infans ſub tutela Leonidæ.
Moritur octennis Olymp. CXXXVI. ineunte.

Hoc in Schemate propoſita, ex PAUSANIÆ, & PLUTARCHI, & MEURSIANI ANONY-

NYMI consensu, satis certa sunt omnia, præter annum, quo Cleomenes II. obiit, & AREUS prior regnum adiit: item annus incertus est, quo idem periit; ea enim res nunc ex DIODORO SICULO comprobanda est. En verba DIODORI (*i*) Ἐπὶ Ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Δημητρίου τοῦ φαληρέως, τὴν ὕπατον ἀρχὴν ἐν Ῥώμῃ παρέλαβον Κόϊντος φάβιος τὸ δεύτερον, καὶ γάϊος Μάρκιος. Ἐπὶ δὲ τούτων ..... Κλεομένης δ' ὁ τῶν Λακεδαιμονίων βασιλεὺς ἐτελεύτησεν ἄρξας ἔτη ἑξήκοντα, καὶ μῆνας δέκα. τὴν δὲ βασιλείαν διαδεξάμενος ὁ Ἀρέτας υἱὸς (*Corrige*: ὁ Ἀρεὺς υἱωνὸς) ἦρξεν ἔτη τέσσαρα πρὸς τοῖς τεσσάρακοντα.

„ Sub Archonte Athenis Demetrio
„ Phalereo, consularem principatum Romæ
„ susceperе Quintus Fabius iterum, & Cajus
„ Marcius: sub his autem . . . . Cleomenes
„ vero, Lacedæmoniorum Rex, mortuus est,
„ cum regnasset annos sexaginta, & menses
de- „

(i) DIODORI SICULI *Bibliothecæ historicæ Lib. XX. pag. 766. & 767. Edit. Wechel. Græco-Latinæ 1604.*

decem: cui porro ſucceſſit filius Aretas, „
(corrige: Nepos Areus) qui imperavit an- „
nis quatuor ſupra quadraginta. „

Demetrius Archon, & memorati conſules congruunt *Olympiadis CXVII. anno 4.* Miror, eruditiſſimum MEURSIUM ad hunc DIODORI locum adhæſiſſe, dubitaſſeque, an non *Aretas* iſte *Cleomenis III. filius* dicendus ſit? (*k*) Reclamat enim totus ordo genealogicus, ac tempora ex PAUSANIA, & PLUTARCHO obſervata, & cum DIODORI annis nulla, hac in hypotheſi, ratione concilianda: reclamat vocabulum *Aretas*, ſerius regibus Damaſcenis proprium, nullique Laconum regi unquam adſcriptum. Quare citra dubium in DIODORI apographis emendandum eſt illud, ac inmutandum: Κλεομένης ὁ Ἀρέτας υἱος, in iſtud apud PLUTARCHUM: Ἀρεὺς υἱωνὸς Κλεομένης. *Areus nepos Cleomenis.* Hoc ſi

 fiat,

(k) MEURSIUS *de regno Lacedæm. Cap. XIV. Vide & Cap. XIII.* *pag. 2256. Gronovii Theſauri. Græc. Tomo V.*

fiat, tempora omnia, omnisque genealogicus ordo, perfecte congruent: AREUS per XLIV. annos, ad mentem DIODORI, regnum, post obitum Cleomenis avi, obtinebit, videlicet ab *Olymp. CXVII. anno* 4. ad *Olymp. CXXVIII. annum* 4. quo intervallo & Demetrius Athenas obsidebat, & Pyrrhus Spartam infestabat.

Erat autem facilis lapsus describentium DIODORUM, ut loco Αρευς vel APEΥΣ. Αρεταϛ vel APETAΣ scriberetur. Sane in apographis FLAVII JOSEPHI certus hic noster Spartæ rex APEΥΣ, legitur efformatus APEIOΣ. (*l*) In græco textu *Libri I. Machabæorum* (*m*) ONIAPHΣ. (forte compositum a scriba ex duobus: ONIA, APHΣ loco APEΥΣ.) item ΔAPEIOΣ habetur loco APEΥΣ. Sed in vulgata latina versione ejusdem sacri libri *Arius* legitur loco *Areus*, quod ex Græco vetustiore codice, ex voce APEIOΣ, desumtum videtur, loco APEΥΣ veri

(l) JOSEPHUS *antiquit. Jud. Lib. XII. C. 4.*

(m) *Lib. I. Macchab. C. XII. V. 7. & 20.*

veri vocabuli. In altero vocabulo ΥΙΟΣ, aut ſcriba rurſum peccavit, aut contracte ſcriptum erat τὸ ΥΙΩΝΟΣ: aut ipſe DIODORUS hac in re erravit, qui haudquaquam prolixe, ac diligenter genealogiam AREI evolvit, & ita *filium* vocavit, qui *nepos* eſt apud PAUSANIAM ac PLUTARCHUM; ex his igitur eſt corrigendus DIODORUS, & *Areus* (non *Aretas*) Cleomenis *nepos* (non *filius*) appellari debet.

Correctio utraque eo certius admittenda eſt, quo minus alteri *Cleomeni*, quam *ſecundo* ejus nominis Lacedæmonio regi, DIODORI locus applicari poteſt. Tres enim duntaxat *Cleomenes* Spartæ reges fuere: *Cleomenes primus* uno fere ac dimidio ſæculo *ante Olympiadem CXVII.* floruit: *Cleomenes III. Olympiade CXXXIX.* bello Achaico contra Aratum decertavit, ac ſubinde variam fortunam expertus eſt. Itaque is Cleomenes, qui *Olympiade CXVII.* obiit, alius eſſe a *ſecundo* non poteſt, quem ex PAUSANIA, & PLU-

TARCHO vidimus AREI avum (non Aretæ patrem) fuiſſe, & cui *Cleomeni* ſucceſſorem *Areum*, Acrotati filium, Cleomenis nepotem tribuit, præter alios, etiam Græcus ANONYMUS apud MEURSIUM. (*n*) Denique, quam peregrinum Laconibus eſt *Aretæ* nomen, tam certum ipſis ac fere proprium eſt *Arei* vocabulum, quod non modo duobus regibus Lacedæmoniis a PAUSANIA, PLUTARCHO, ANONYMO, pluribus in locis (item ab ATHENÆO) conſtanter tribuitur; ſed quo *Arei* nomine paullo ſerius alius quoque appellatur *Spartanus* ad Romanos legatus, apud POLYBIUM (*o*) & LIVIUM (*p*).

Hæc de AREI Lacedæmonum regis ætate paullo diligentius explicanda duximus; ut jam citra novam argumentationem, conſectarii inſtar illud manifeſtum fiat: hunc AREUM

(n) *Tomo V. Theſauri Græc. ant.* GRONOVII, *pag. 2252. & ſequente:* Εἰκοσὸς τέτ]αρ]ος Κλεομένης, ὁτῦ Ἀγησιπόλιδος ἀδελφός . . . Εἰκοσὸς πέμ]ος Ἀρεὺς, τῦ Ἀκροτάτ]υ, τῦ Κλεομένυς.

(o) POLYBIUS, *Legatione XLII. pag. 1186. edition. Amſtel.* Ἐκ τε τῆς Σπάρ]ης Ἀρεὺς . . .

(p) LIVIUS *Lib. XXXIX. Cap. 35.*

AREUM Spartæ regem fuiſſe, a quo ONIAS, Judæorum pontifex ejus nominis *primus*, epiſtolam illam acceperat, cujus epitomen tenemus. (*q*) Enim vero ONIAM I. Olympiade XIV. Jaddo ſuffectum pontificem, uſque ad finem Olympiadis CXIX. vitam produxiſſe, apud chronologos, in confeſſo eſt. (*r*) AREUM vero noſtrum ab *Olympiadis CXVII. an.* 4. uſque ad *Olymp. CXXVIII. an.* 4. Spartæ regnaſſe, modo oſtendimus; citra dubium ergo AREI I. epiſtola ad ONIAM PRIMUM ſcripta fuit, intra initium Olympiadis CXVIII. & CXIX. finem.

Equidem ex DIODORO SICULO illud obmoveri poteſt: hunc hiſtoricum, præter σφάλματα *de Areta Cleomenis filio*, etiam in calculo temporum a ſemetipſo diſſidere; nam

(q) *Epiſtolæ hujus epitome forte potius, quam ea tota, exhibetur Lib. I. Maccbab. Cap. XII. verſu 20. Item apud* FLAV. JOSEPHUM *antiquit. Jud. Lib. XII. Cap. IV. (aliis V.) pag. 606. edition. Havercampii. Joſephi licentia nota eſt, in proferendis documentis; quare non mirum, Epiſtolam Arii ad Oniam paullo aliam eſſe apud Joſephum, quam in Lib. I. Maccbab.*

(r) EUSEBIUS *in Chronico Canone ad Olympiadis CXX. annum 1. Oniæ I. Simeonem filium ſucceſſiſſe memorat.*

Lib. XV. (s) Archonte Dyſniceto Athenis *(Olymp. CII. an. 3.)* & Romæ IV. Tribunis militaribus conſulari poteſtate pollentibus, perhibet: Spartæ regem Ageſipolin expleto regni anno obiiſſe, eidemque ſucceſſiſſe in regno fratrem Cleomenem, qui XXXIV. annis regnavit. Idem vero ſcriptor *Lib. XX.* Cleomenem eundem regnaſſe memorat annis LX. & menſibus X., obiiſſeque Demetrio Phalereo archonte. DIODORUM in *regni annis* Cleomenis II. *Libro XV.* erraſſe, atque *Lib. XX.* verum ſcripſiſſe, ex eo facile colligitur, quod a *Dyſniceto* ad *Demetrium Phalereum* uſque, ſexaginta archontum Athenienſium *ordo continuus* habeatur, totidem annis utique reſpondens. Archontum iſtorum ſeriem propoſitam videre licet apud PETAVIUM, (*t*) aliosque. (*u*)

Com-

(s) DIODORUS SICULUS *Biblioth. hiſtor. Lib. XV. pag. 373. edit. Wechel.*

(t) *Archontum iſtorum ſeriem, ex ipſo Diodoro Siculo collectam, refert* PETAVIUS, *de doctrina temporum L. XIII. ſeu in Chronico, ab anno ante Chriſtum 370. ad 309.*

(u) *Item apud* CALVISIUM, USSERIUM, RICCIOLUM, LENGLET *tablettes Chronologiques Tom. I. pag. 176.*

Comprobatur id porro alia, eaque certa item ratione, ab obitu Ageſipolis, & initio Cleomenis regis, ad ejusdem obitum, fluxiſſe annos completos ſexaginta. Eodem *Lib. XV.* & ſub *eodem* archonte *Dyſniceto*, eodem ſententiæ nexu, morti Ageſipolis conjungit DIODORUS mortem *Amyntæ II*, Macedoniæ regis, patris Philippi, & avi Alexandri Magni, *Olymp. CII. an.* 3. Certiſſimum porro eſt, Alexandrum M. obiiſſe Olympiadis XIV. anno 1., regnaviſſe vero, ut ex ipſo DIODORO conſtat, poſt Amyntam II. filios tres uſque ad Philippum, univerſe annis *novem*, ad Olymp. CV. an. 1. tum Philippum fere annis 25. & Alexandrum 12. completis; itaque 37. anni, atque novem antea effluxere, ab initio regni Cleomenis II. ad obitum Alexandri Olymp. XIV. initio. Porro DIODORUS *Lib. XX.* archonte *Demetrio Phalereo*, ſeu *Olympiadis CXVII. anno 4.* mortuo Cleomene II. *Aretam*, ſeu AREUM ſucceſſiſſe ſcribit; addendo igitur has quatuor Olympiades (duobus tamen annis non completis) ſeu addendo annos 14. completos, ad 9, & 37; habemus

ab

ab obitu Ageſipolis, & initio regni Cleomenis II. annos 60. certo completos, cum integro fere anno adjecto, uſque ad initium AREI; ubi mire rurſum omnia conſpirant, docentque, qua ratione DIODORUS SICULUS ex ſemetipſo, aliisque ſit emendandus. Neque enim duos hic deinceps regnantes Cleomenes fingere licet, contra teſtimonia PAUSANIÆ, PLUTARCHI, ANONYMI, & ipſius DIODORI, qui *Lib. XX.* unum Cleomenem II. annis LX. & menſibus X. regnaſſe, recte perhibet.

Quæ de AREO noſtro hactenus diſceptata ſunt, ea chronologicam in ſeriem diſpoſita, & quibusdam AREI, atque CLEONYMI patrui rebus aucta, iſthic proponemus, præfixis annis ante æram Chriſti, & Olympiadum.

CLEO-

Ante Chriſt.	*Olymp.*	
309.	CXVII. 4.	CLEOMENI II. Spartæ regi (ex Euryſthenidarum ſeu Agiadarum Herculea ſtirpe) hoc anno extincto ſuccedit AREUS, Acrotati filius, Cleomenis nepos.
Archonte Phalereo.	*Demetrio*	
		CLEONYMUS, natu minor Cleonymi filius, regno excluſus, id ægerrime tulit. *Diodorus, Pauſanias, Plutarchus.*
308.	CXVIII. 1.	Ephori Lacedæmonii ſtudent variis oblatis honoribus Cleonymum delinire. *Pauſanias Lib. 3. Cap. 6.*
307.	2.	
306.	3.	Circa hos annos AREUS rex ad Oniam I. Judæorum pontificem, epiſtolam dat, qua inventam Laconum cum Judæis cognationem, & fraternæ amicitiæ ſenſus declarat. *Lib. 1. Macchab. C. XII. v. 20.*
305.	4.	

Ante Chriſt.	*Olymp.*	
303.	CXIX. 2.	CLEONYMUS, ab ephoris dux belli conſtitutus, Tarentum navigat, Tarentinis opem fert, eorumque hoſtes Romanos, & Lucanos præſertim vincit. *Pauſanias Lib. III. C. 6. Diodorus Lib. XX.*
302.	3.	Thuriadem urbem in Salentinis Cleonymus occupat: ſed deinde ejus claſſis ad Patavina littora a M. Æmilio conſule male mulctatur. *Livius Lib. X.*
301.	4.	CLEONYMUS afflictus hoc aut ſuperiore anno in Corcyram redit. *Diodorus Lib. XX.*
300.	CXX. 1.	Oniæ I. pontifici ſuccedit filius Simon, *Euſebius Chron.*
		Onias pontificatum geſſerat annis XXII. *Joſeph. Lib. XI. antiqu. ſub finem.*

Pyr-

Ante Christ.	*Olymp.*	
273.	CXXVI. 4.	Pyrrhus ex Italia redux Macedoniam occupat: accipit occasionem belli in Spartanos, oblatam a Cleonymo, qui & vetere vulnere negati regni, & novo æger, quod Chelidonis uxor ipsius, ACROTATO, AREI regis filio, palam, spreto marito vetulo, adhæreret. *Plutarchus in Pyrrho. Pausanias L. III. C. 6.*
272.	CXXVII. 1.	PYRRHUS ipsam Spartam acriter oppugnat: AREO tum in Creta absente, quo discesslit, Gortyniis ut auxilio esset; interea ACROTATUS, regis filius, strenue patriam tuetur. Cum Corintho Spartam suppetiæ venissent, redit quoque cum bis mille armatis e Creta ARE-US. Pyrrhus obsidione depulsus Argos irruit, & perit.

Ante Chriſt.	*Olymp.*	*Plutarchus in Pyrrho.*
- - -	- - -	Spartæ, ſublatis hoſtibus, luxus invaleſcit, primum apud AREUM, & ACROTATUM: quos mox etiam privati ſuperavere. *Athenæus Lib. IV.*
- - -	- - -	AREO (neſcio quo tempore) Elei erexerunt ſtatuam, equum aſcendentis figura. *Pauſanias lib. VI. C. XII.*
		Alterius quoque in Elide ſtatuæ AREI regis fit mentio. *Ibidem C. XV.*
269.	CXXVII. 4.	ANTIGONUS rex Macedon. Athenas obſidet: AREUS cum ſuis accurrit; ſed prælio non tentato revertitur. *Pauſanias.*
265.	CXXVIII. 4.	AREUS ad Corinthum occumbit. *Plutarchus in Agide, & Cleomene.*

Suc-

Ante Christ.	*Olymp.*	
		Succedit filius ACROTATUS. *Pausanias*, *Plutarchus*, *Anonymus.*
264.	CXXIX. 1.	ACROTATUS ad Megalopolin, contra Aristodemum tyrannum pugnans, uno fere post patrem anno, aut perexiguo intervallo, ut PLUTARCHUS innuit, perimitur: relicta uxore gravida, quæ mox AREUM II. peperit, octo tantum annis sub tutela LEONIDÆ, Cleonymi filii, vita & regni titulo fruiturum. *Plutarchus in Agide & Cleom.* *Pausanias*, *Anonymus.*
256.	CXXXI. 1.	AREO II. mortuo, LEONIDAS proximus sanguine junctus regnum obtinet. *Iidem.*

Ad hunc temporum, ac rerum AREI noſtri qualemcunque ordinem tria obſervo. *Primum:* videri mihi, argenteos AREI regis numos tum demum, aliorum regum æmulatione aut more, procuſos fuiſſe, cum luxum, & *aulicam poteſtatem* (utique aliorum regum) AREUS & ACROTATUS, *æmulati ſunt*, teſte ATHENÆO. (*x*) Ejus rei tempus quadrare opinor in annos, ab repulſo occiſoque Pyrrho proximos, queis metu liberati, gloriaque inſignes vivebant AREUS, filiusque ACROTATUS, poſt initium *Olympiadis CXXVII.* Forte is luxus etiam cauſa fuerit, cur contra Antigonum decertare non auderet AREUS.

Alterum: Solvendum hic eſſe nodum, qui de ACROTATI, AREI filii, interitu ad Megalopolin, ſe ſe obtulit, PAUSANIAM cum PLUTARCHO contendenti. Duos in regum Spartanorum fragmento genealogico ſuperius pro-

(x) ATHENÆUS *Dipnoſophiſtarum Lib. IV. pag. 142. edit. Cauboni.* Ἀρεὺς καὶ Ἀκρότατος ἀνδρικὴν ἐξουσίαν ζηλώσαντες.

protulimus ACROTATOS, priorem Cleomenis II. primogenitum: posteriorem AREI filium. PAUSANIAS *in Arcadicis* (*y*) perhibet: Lacones duce ACROTATO, *Cleomenis regis filiorum natu maximo*, Megalopolis tyrannum Aristodemum impugnasse, sed victos abiisse, occiso ipso ACROTATO. Adduntur aliqua temporis indicia: id factum fuisse haud ita multo post Philippi Macedonis, patris Alexandri, bella; item: duabus, ut plurimum generationibus ante Lydiadem, alium Megalopoleos tyrannum, periisse Aristodemum: Lydiadem porro a Cleomene (*tertio*) Leonidæ filio, sublatum fuisse.

Hæc enim vero in ACROTATUM priorem consspirare videntur. *Primo*: Philippus Macedo obiit *anno ante Christum* 336. Paullo post, nempe *ante* an. 309, occidit ACROTATUS, *Cleomenis II.* filius, quippe ante patrem. *Deinde*: a morte Aristodemi (quæ

(y) PAUSANIAS *in Arcadicis, seu Lib. VIII. Capit. XXVII. pag. 656. 657. Lipsiæ.*

(quæ in hac hypotheſi poſt annum 309. evenit) uſque ad Cleomenem III. ſeu ad annum circiter 224. duæ generationes elapſæ dici poſſunt, ſi unius menſuram generationis quadragenos annos PAUSANIAS conſtituit.

Alia tamen omnia PLUTARCHUS memorat: nam *in vita Agidis & Cleomenis* (uti ſupra retuli) ACROTATUM, AREI filium, poſt patris cædem, ad Megalopolin ab Ariſtodemo tyranno fuſum, occubuiſſe, diſerte teſtatur. Adjungit PLUTARCHUS alibi (z), ipſo POLYBIO teſte, notas quasdam temporis: Philopœmenem, cum pubertatem attigiſſet, educatum fuiſſe ab Ecdemo, & Demophane Megalopolitanis, qui immiſſo percuſſore Ariſtodemum tyrannum e medio ſuſtulere, atque patriæ libertatem reſtituere. Philopœmenes Tito Quintio Flaminio coævus fuit,

(z) PLUTARCHUS *in vita Philopœmenis ſub initium, & deinceps.* POLYBII *excerpta e Libro X. de vitiis, & virtutibus, pag. 1389. edit. Amſtelod.*

fuit, qui *anno ante Chriſtum 196. Olymp. CXLVI.* 1. libertatem Græciæ reddidit.

Philopœmenis pubertas, & Ariſtodemi interitus haud facile ultra annum ante Chriſtum 260. *circiter* removeri poſſunt: quæ res cum ACROTATI, *Arei filii*, morte circa 264. optime congruere poteſt; ſed ad ACROTATUM illum priorem, ante annum 309. extinctum, accommodari Philopœmenis ætas nulla ratione valet; niſi Philopœmenem centum annorum ſenecionem fingas fortiſſima quæque in bello patrantem.

Mihi quidem certe PLUTARCHI ſententia videtur potior, POLYBIO præſertim ſuffragante; cum quod aliarum rerum, hominumque nexus manifeſte Ariſtodemum ad ACROTATI junioris, AREI filii, tempora referendum ſuadeant: tum quod PAUSANIÆ dubiæ locutiones, ſi non omnino inſuper haberi, at certe facile flecti ad PLUTARCHI

ſententiam poſſint. *Primo* enim, quod poſt Philippi res geſtas *non multo tempore*, ſic enim PAUSANIAS ſcripſit, ACROTATUS Ariſtodemum oppugnans ceciderit; ſane non video, cur extendi denique, accedentibus e PLUTARCHO & POLYBIO argumentis, obſcura ea locutio ad annos ſeptuagenis pluſculos non poſſit. Deinde; PAUSANIAS *duas, ut plurimum*, (ὡς μάλιϛα) interceſſiſſe *generationes* ſcribit, neque generationis tempus definit; itaque cum ne duæ quidem generationes omnino abiiſſe videantur, ab Ariſtodemi nece ad Cleomenis III. res fortaſſe poſtremas; ab anno circiter 264. ad 224. vel 222., elapſi interea quadrageni, aut plures anni hic ſufficient, ſi ætati uni circiter 25. anni tribuantur. Ita interpretationem patitur vaga, & ambigua PAUSANIÆ locutio, qualem POLYBII, & PLUTARCHI narratio perſpicua omnino exigit. Corrigendum ergo cenſeo PAUSANIAM in eo, quod ACROTATUM, *Cleomenis filium*, ad Megalopolin occubuiſſe memoret, ubi AREI *filium* dicere ACROTATUM cum PLUTARCHO debuerat.

Ter-

Tertium ex conſtituto temporum ordine obſervo: Epiſtolam AREI, regis Spartani, ad Oniam exaratam, nequaquam attribui poſſe Oniæ II. ejus nominis pontifici, minusque tertio; quia Onias II. pontificatum adiit, EUSEBIO teſte, *in chronico*, anno *ante Chriſtum* 246. Olymp. CXXXIII. an. 3. Porro ipſe AREUS II. jam ante annos decem circiter extinctus fuit, nullusque omnino AREUS vel ARIUS rex Lacedæmoniorum uſpiam comparet poſt AREUM II. qui octo annorum puer exceſſit. Quod vero vir magnæ doctrinæ JACOBUS SALIANUS S. J. Oniæ II. laudatam epiſtolam vindicare velit, atque eam ſententiam, quæ cum SCALIGERO, & PETAVIO pro Onia I. ſtat, pluribus impugnet; me non movet, ut ab ordine regum Spartæ, rite, ut opinor, conſtituto, diſcedam. Palmare SALIANI (*a*) argumentum eſt: AREUM I. regnum Spartæ *exeunte Olymp. CXXVI.* adiiſſe, ſub finem Pyrrhi regis, idque colligi ex PAUSIANA,

(a) SALIANI *annales vet. teſt. ad an. mundi 3821.*

qui AREUM regem cum Pyrrhi irruptione in Laconicam conjungit, ea de cauſa, quod ad bellum impulſus ſit Pyrrhus a Cleonymo, AREI patruo, vindictam quærente, quod regnum, ipſi abjudicatum, AREO ſit attributum.

Verum ex eodem PAUSANIÆ *capite* (*b*) nodus iſte nullo negotio ſolvitur, uti in ſchemate chronologico indicavimus. Primum enim PAUSANIAS non ſcribit: *adeunte regnum* AREO, ſed *regnante* βασιλέυοντος, Pyrrhi bellum Laconicum, aut Antigoni potius obſidionem Athenarum contigiſſe. Deinde idem PAUSANIAS diſerte narrat: Ephoros variis decretis præmiis, etiam exercitus delato imperio, delinientes Cleonymum, eo adduxiſſe, ne ob negatum regnum hoſtili eſſet in Spartam animo. Τέλος δὲ ὁ μὲν πολλά τε καὶ ἐχθρὰ ἐς τὴν πατρίδα ἐτόλμησε καὶ Πύῤῥον τὸν Ἀιακίδα σφίσιν ἐπήγαγετο ἐς τὴν

(b) PAUSANIAS *Lib. 3. Cap. VI. pag. 216. & 217. edit. Lipſ.*

τὴν χώραν. „ Tandem autem (ſeu *ſub finem*) hic (Cleonymus) multa, & hoſtilia „ adverſus patriam auſus eſt, & Pyrrhum „ Æaciden in regionem induxit. „

Itaque *tandem*, poſteaquam variis præmiis pacatus quievit, porro deinde delato imperio exercitus, Tarentum miſſi, magis delinitus eſt Cleonymus; *tandem* inquam, Pyrrhum advocavit. Enim vero delatum Cleonymo illud imperium SALIANI ſententiam plane evertit. LIVIO enim, & DIODORO SICULO teſtibus (c) *Cleonymi Spartani* claſſis ad littora Patavina a M. Æmilio conſule devicta eſt; poſteaquam jam anno ſuperiore eadem Tarentum appuliſſet. Notum eſt: M. Livium Dextrum & M. Æmilium Paulum Coſſ. fuiſſe anno V. C. CDLI. anno *ante Chriſtum* 302. *Olymp. CXIX. 3.* Ita-

(c) LIVIUS *Lib. X. Cap. I. & II. pag. 796. ad uſum Delphini.* DIODORUS SICULUS *Lib. XX. pag. 828. & 829. Wechel.* ubi ſcribit: *Tarentinis Cleonymum petentibus, a Spartanis libenter προθύμως datum eſſe.*

que ſub initium Olympiadis CXIX. decretum eſt imperium iſtud ab ephoris, qui jam antea *variis præmiis pacare ſtuduerunt Cleonymum*, propter decretum AREO *regnum*, præ eodem Cleonymo. Fuit ergo AREUS rex ante *Olympiadem* CXIX. Errat igitur, ipſo PAUSANIA ſuffragante, SALIANUS annis facile triginta, qui AREI regni exordia ad Olympiadis CXXVI. finem reſcripſit.

Accedit & illud, quod ſuperius ex PLUTARCHO (*d*) retuli, qui diligentius ceteris advocati in AREUM, & in Spartanos a Cleonymo Pyrrhi, cauſas recenſens, ait: præter recrudeſcentem *veterem*, ob regnum olim negatum, ægritudinem, & contra cives communem querelam, hanc novam acceſſiſſe, quod Chelidonis, Cleonymi elegantula uxor, ſpreto marito, palam AREI filio ACROTATO adhæreret. Atque hoc eſt illud PAUSANIÆ: τέλος δὲ: *Tandem autem* Cleonymus Pyrrhum con-

(d) PLUTARCHUS *in Pyrrho propius finem.*

concitavit *vetere* (& verò *vetuſtiore*, ut loquitur PLUTARCHUS) querela ſimul, & nova ægritudine ad hoc permotus. (*e*)

Jam denique manum de tabula; ſpero me prolixiore hac, de AREI I. Spartæ regis ætate, diſceptatione id effeciſſe, ut ſolutis, quoad poſſem, occurrentibus, & de induſtria quæſitis dubiis, palam fieret: AREUM I. regem Oniæ I. pontifici ſynchronum fuiſſe. Quod ſi quis moleſte ſcrupuloſus conciliato a nobis DIODORO non acquieſceret, atque AREI regnum ab Olympiade CXVII exeunte ordiri nollet; negare tamen nemo poterit, ſaltem ſub Olympiadis CXIX. initium AREUM jam regnaſſe, atque adeo biennio, ut minimum dicam, trienniove eundem cum Onia I. vixiſſe, qui ineunte Olymp. CXX. pontificatum cum vita poſuit.

ZA-

(e) *Ibidem de Cleonymo agens*, cur Pyrrhum in Spartanos incitarit, ita ſcribit: Ἀλλ' Ἀρεὺς Βασίλευσε, ᾗ τοῦτο μὲν ἦν κοινὸν ἔγκλημα, ᾗ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΝ αὐλῷ πρὸς τὰς πολίτας.

ZARIÆ, VEL SARIÆ REGIS.

Caput velatum imberbe, vel laurea, vel cornibus, vel ſpicis infra velum prominentibus.

ΒΑΣΙΛΕ. ΖΑΡΙΑ. *Regis Zariæ.* Duæ ariſtæ erectæ. *Æneus II. Vide Tab. I. Fig. II.*

Alter numus ita habet:

Caput viri adulti nudum, vultu imberbi.

ΒΑΣΙ. ΣΑΡΙΑ. *Regis Sariæ.* Aliquid pharetræ ſimile. *Æneus II. vel III. Vide Tab. I. Fig. III.*

AMbo hi numi nondum alibi, quod ſciam, detecti, extant Venetiis in theſauro numiſmatico Excellentiſſimi Marchionis SAVORGNAN. Quisnam vero rex, cujusve regionis, unus, an duo hoc ZARIÆ, & SARIÆ no-

nomine designetur, me omnino ignorare profiteor. Nuspiam legi ZARIÆ, vel SARIÆ *regis* nomen.

Quod si quis nomen regis in numo (quod quidem rarum est) integre non fuisse insculptum suspicetur: aut si terminatio nominis litem non moveat; tum enim vero vel ZARIASPES hic aliquis, vel ZARIASTER intelligi posse videtur. De ZARIASPE ita (*f*) CURTIUS (ARRIANO consentiente) memorat: „ A Cratero quoque nuncius ve- „ nit: *(ad Alexandrum M. Caramaniæ fines* „ *attingentem)* Orzinem, & Zariaspem, no- „ biles Persas, defectionem molientes, op- „ pressos a se, in vinculis esse. „

SARIASTREM, Tigranis magni, Armeniæ regis filium, nobis sistit VALERIUS MA-

(f) CURTIUS *Lib. X. Cap. XXXIII. pag. 384. in usum Delphini.* ARRIANUS *de expedit. Alexandri M. Lib. VI. pag. 286. Lugd. Batav. 1704. qui Ordinem loco Orzinis appellat.*

XIMUS (*g*) his verbis. „ Cum SARIASTER „ adverſus patrem ſuum Tigranem, Arme- „ niæ regem, ita cum amicis conſenſerit, ut „ omnes dextris manibus ſanguinem mitte- „ rent, atque eum invicem ſorberent. Hujus filii Tigranis, etſi ſine nomine, alterius tamen a Tigrane juniore, meminit DIO CASSIUS, (*h*) additque: eum, cum a patre deſeciſſet, ad Phraatem Parthiæ regem, cujus filiam conjugem nactus erat, ſe contuliſſe, atque cum Parthis contra Armenios bellaſſe.

At enim neque ZARIASPES Perſa, neque SARIASTER Armenus, ad propoſitos ZARIÆ regis numos ſatis quadrare videntur. Nudum caput, niſi Deaſtri cujuspiam eſſe dicas, ad orientalium ejuscemodi regum numos, vultusque referri vix poteſt. Mallem Illyrici, Gallicive populi regem SARIÆ nomine, ſimilive inſignem, alicunde exſculpere; ſed hoc doctioribus lubens relinquo.

ADIN-

(g) VALERIUS MAX. *Lib. IX. Cap. XI. exemplo externo III.*

(h) DIO CASSIUS *Lib. XXXVII. pag. 32. edit. Wechel.*

ADINNIGAI REGIS.

Caput barbatum, diademate, & peregrino cultu ornatum.

- - ΑΣΙΛ . . . ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ . . ΣΩΤΗΡΟΣ.
Regis Adinnigai Soteris. Figura nuda, quasi rupi insidens, d. quasi clavam: in area duo monogrammata; infra ΤΛΓ. *Anno 333.*

Æneus primi moduli: in Cimelio illustr. Baronis de Stosch, Florentiæ. Vide Tab. I. Fig. IV.

DE præclaro hoc numismate plura disserui in libello: *Dubia de Minnisari, aliorumque Armeniæ regum numis, & æra Parthica*; ubi candide fassus sum, iterumque fateor, nescire me, cuinam regi hoc numisma sit adscribendum. Equidem Reverendissimus & Eruditissimus Pater EDUAR-

DUS CORSINUS in alio ſimillimi nùmiſmatis ectypo legerat nomen regis *Minniſari*, atque id *Maniſaro*, de quo *Dio*, attribuit, tanquam Armeniæ regi; verum dubia mihi ſuborta effecere, ut ei ſententiæ viri licet doctiſſimi non dum adſtipularer. Itaque hoc etiam numiſma inter ænigmata repono, felicioribus antiquariis fortaſſe ſolvenda, poſteaquam plura ejuscemodi numiſmata detecta fuerint.

COMOSICUS GETARUM REX, ET PONTIFEX.

Caput barbatum, & pileo in modum tiaræ tectum, inſcriptione aut nulla, aut extrita.

KOMOCI. . . *Comoſicus*. Caput crinibus compoſitis, peregrino more armatum. *Æneus numus medii moduli, craſſiuſculus, barbara fabrica. In Cimelio Granelliano Collegii Academici Vindobonenſis Soc. JEſu. Vide Tab. I. N.V.*

Mul-

MUltis annis hæſitaveram, cuinam principi hunc numum adſcriberem. Barbaram ad gentem revocandum eſſe, ipſa fabrica monebat. Denique cum in JORNANDEM incidiſſem, Getarum in Dacia regem ac ſacerdotem inveni *Comoſicum* nomine, cujus deceſſor erat *Boroiſta Diceneus*, (diverſus a *Decæneo* eſt *Straboni Byrebiſtas* vel *Berebiſta* rex, cujus vates *Decæneus appellatur*) non quidem initio Getarum, ſeu Gothorum *rex*, ſed ob inductas inter Gothos rerum naturalium, aſtronomiæ, ac theologiæ diſciplinas, regibus ipſis potior habebatur, Sitacle rege. Referam hic verba ipſa, queis ſuam de *Boroiſta Diceneo*, narrationem concludit, & *Comoſicum* nobis ſiſtit JORNANDES.

„ Hæc, & alia multa Diceneus Gothis „
ſua peritia tradens, mirabilis apud eos in- „
venitur, ut non ſolum mediocribus, imo & „

(i) *De rebus Geticis Cap. XI. pag. 627. edit. Elzevir. 1655.*

„ regibus imperaret. Elegit namque ex eis
„ tunc nobiliſſimos prudentiores viros, quos
„ theologiam inſtruens, numina quædam &
„ ſacella venerari ſuaſit, fecitque ſacerdo-
„ tes, nomen illis PILEATORUM contra-
„ dens, ut reor, quia opertis capitibus
„ TIARIS, quos pileos alio nomine nun-
„ cupamus, litabant: reliquam vero gen-
„ tem CAPILLATOS dicere juſſit, quod nomen
„ Gothi pro magno ſuſcipientes, adhuc ho-
„ die in cantionibus reminiſcuntur. Dece-
„ dente vero Diceneo, pene pari venera-
„ tione habuere COMOSICUM, quia nec
„ impar erat ſolertia. Hic etenim & REX
„ illis, & PONTIFEX ob ſuam peritiam habe-
„ batur, & in ſua juſtitia populos judicabat.

Habemus hic COMOSICUM Gothorum velut oraculum, quem ex CAPILLATORUM ordine fuiſſe, capitis ornatus indicare videtur; altera enim numi facie *Diceneum* repræſentatum puto, TIARA PILEATUM,

gra-

grati animi, memoriæ, ac reverentiæ cauſa; *Comoſici* juſſu in numo ſignatum. Floruit *Comoſicus* circa Tiberii & Caligulæ tempora; uti ex JORNANDE colligo, & ex STRABONE *Lib. VIII. & XVI.* de Decæneo & Byrebiſta.

AUDOLEON PÆONIÆ REX.

Caput barbatum laureatum Jovis: infra collum duo characteres ignoti.

ΑΥΔΟΛΕΟΝΤΟΣ. *Audoleontis.* Equus gradiens, ſupra quem, aut penes quem, figura dimidia, capite galeato. *Argenteum numiſma tetradrachmum fere: fabrica ſemi-barbara; in cimelio perilluſtris domini* DE FRANCE *Vindobonæ. Vide Tab. I. Fig. VI.*

Pæo-

PÆonia, finitima Macedoniæ, & Epiro, Hæmoque ad ſeptentriones terminata provincia, Axio amne irrigata, celebres jam inde a Trojani belli, aut ſaltem ab Homeri ætate principes habuit. Regionis iſtius res vetuſtas, regesque erudite, ut fere cetera, proſecutus eſt REINERUS REINECCIUS. (*k*)

Audoleontis, Pæoniæ regis, numulum unum produxit LAURENTIUS BEGERUS *in Theſauro Brandeburgico Tomo I. pag. 286.* Dubitabat non nihil vir doctus, legendumne eſſet: ΑΥΔΟΛΕΟΝΤΟΣ, in numo Brandeburgico, cujus epigraphe minus integra comparuiſſet? Verum *in cimelio Vindobonenſi* Auguſtæ domus Auſtriacæ, ſimilis argenteus iſtius regis numus extat, una ex parte caput imberbe galeatum, & crinitum, ex altera equum gradientem referens, cum integerrima epigraphe: ΑΥΔΟΛΕΟΝΤΟΣ. *Vide Tab. I. Fig. VII.* ut dubium omne hoc de vocabulo

(k) *Hiſtoriæ Juliæ, ſeu Syntagmatis Heroici Part. II. §. X. pag. 141. &c.*

bulo ſit diſſolutum, certoque hi duo ſimillimi numi ad *Audoleontem* Pæoniæ regulum ſint revocandi. Vide *numiſmata cimelii Auſtriaci Vindobon. parte I. pag. XXXVI. & Tab. IX. N. 16.*

Ab his duobus diverſus eſt *Audoleontis* numus, ſuperius a me propoſitus, qui & *Jovis caput*, loco galeati, & equum in averſa, cum *figura*, etſi imperfecta, exhibet, qua ſpecie nondum, quod norim, hujus *Audoleontis* vulgatus eſt numus. Scriptores veteres Græci, uti nunc eosdem legimus, quicunque *Audoleontis* Pæoniæ regis meminere, omnes eum Αυτολέοντος, *Autoleontis* nomine ſcriptum ſiſtunt: DIODORUS SICULUS, ARRIANUS, PLUTARCHUS, POLYÆNUS; ſolus ſequioris ævi ſcriptor TZETZES pöeta & hiſtoricus, (*l*) ita de Xermodigeſto ſcribit: Τῷ Αυδολέοντος Παιόνων βασιλέως φίλος. *Audoleontis Pæonum regis amicus.*

F Nu-

(1) *Chiliade VI. carmine LIII. Verſu 1. & 2.*

Numiſmata nunc quidem certe nos docent: *Audoleontis* nomen ita rectius ſcribi, quam *Autoleontis.* Variare interdum veterum apographa in nominibus propriis, & nominatim in literis Δ & T, præter alia exempla, vocabulum urbis *Gortyniæ*, ſitæ in Cyrrheſtica *Pæoniæ*, ſeu Emathiæ regione, comprobat, quod apud THUCYDIDEM ΓΟΡΤΥΝΙΑ apud PLINIUM, & STEPHANUM *Gordinia*, & ΓΟΡΔΥΝΙΑ expreſſum legitur, apud PTOLEMÆUM Γορδηνία. Hæc obſervarunt CELLARIUS (*m*) & HARDUINUS (*n*).

Audoleontis, Pæoniæ regis, pater erat Agis, qui Philippo, Amyntæ filio, Alexandri M. patre regnum turbatum adeunte, Macedoniam populatus eſt. At paullo poſt, mortuo Agide, Philippus Pæoniam ingreſſus, incolas acie victos Macedonibus, una cum principe ſuo Audoleonte, parere cöegit. Hæc plu-

(m) CELLARIUS *Geograph. antiquæ Lib. II. Cap. XIII. in Macedonia.*

(n) *In Plinii Lib. IV. Capit. XVII. pag. 201. edit. in folio.*

pluribus memorat DIODORUS SICULUS. (*o*) De *Audoleonte* porro idem ista perhibet: „ Cassander cum auxilium tulisset Autoleonti „ Pæonum regi, bellum gerenti contra Autariatas, cum liberis & uxoribus, qui comitabantur pugnantes, ad XX. millia, juxta „ Orbitaum, quem vocant, montem collocavit. „ Κάσσανδρος μὲν βοηθήσας Ἀυτολέοντι τῷ τῶν Παιόνων βασιλεῖ.....

Audoleontis proles duas prodidere historici veteres, filium *Aristonem*, & filiam anonymam, Pyrrho regi collocatam, de qua ita PLUTARCHUS (*p*) Ἀυτολέοντος τοῦ Παιόνων βασιλέως ἔγαμε θυγατέρα. *Autoleontis Pæonum regis filiam* (Pyrrhus) *duxit.*

De Aristonis fortitudine in prælio ad Arbela, vel ad Gaugmela, quo Alexander M. Darium profligavit, egregia narrant CURTIUS

(o) *Histor. Lib. XVI. pag. 407. edit. Wesbel. atque pag. 409.*

(p) *In Pyrrho, pag. 687. edit. Paris. 1624.*

TIUS (*q*), Item ARRIANUS (*r*). Ariſton ſiquidem Pæonici equitatus ductor, Satropacem, Perſicorum equitum præfectum, victum ipſe proſtravit, eidemque abſectum caput ad Alexandrum detulit. Hæc vivente *Audoleonte* geſta ſunt. Subinde *Audoleonte* poſt Alexandri magni mortem extincto, *Lyſimachus*, vicinæ Pæonibus Thraciæ imperans, primum quidem *Ariſtonem Audoleontis filium ad Pæonas paternum in regnum introduxit*: Λυσίμαχος Ἀρίσονα τὸν Αὐτολέοντος πρὸς Παίονας ἐπὶ τὴν πατρῴαν βασιλείαν κατήγαγεν, ut refert POLYÆNUS (*s*). Verum poſtea, ut idem auctor proſequitur, Lyſimachus dolo malo Pæoniam pro ſe occupavit.

Hæc breviter hactenus de *Audoleonte*, Pæoniæ rege, ejusdemque patre, ac prolibus executi ſumus. Jam de numi figuris pauca ad-

(q) CURTIUS *Lib. IV. Cap. IX. pag. 239. edit. 1724. per Snakenburg.*

(r) *Lib. III. de expedit. Alexandri pag. 60. edit. Henr. Stephani.*

(s) *Stratagematum Lib. IV. Cap. XII. §. 3. pag. 417. edit. Lugd. Batav. 1691.*

adjungenda putamus : *Equum* in Macedonicis, Theſſalicis, Pæonicis, argenteis potiſſimum numis obſervare licet, vel liberum illum, vel cum inſeſſore. Noſtro in numo illud præterea obſervo : barbaram fabricam capitis laureati, & barbati proxime accedere ad ſpeciem quorundam numiſmatum argenteorum, barbaræ item fabricæ, quæ ad nos Vindobonam magno interdum numero ex Hungaria, aut vicinis e terris afferuntur.

Sunt ea itidem argentea tetradrachma pleraque quam proxime : ſæpius item in iis caput laureatum occurrit : & in averſa eques, vel equus. Simillima iſtis ſunt, ſeu caput, ſive averſam partem ſpectes, numiſmata barbara *Philippi*, inſcripta ΦΙΛΙΠΠΟΥ, etiam ordine literarum interdum retrogrado. Accedit nunc ad hæc omnia perquam ſimile *Audoleontis*, Pæoniæ regis, numiſma, quod mihi dudum barbarorum illorum numiſmatum patriam inquirenti, lucem præferre videtur, ut ad vicinas Macedoniæ, Pæoniæque re-

giones, præſertim qua Thraciam aut Mœſiam attingunt, atque ad earum Principes, numiſmata illa referenda cenſeam.

Attamen tres fere barbarorum id genus ex argento numiſmatum ſpecies obſervo: *prima* eſt, quæ cœlatura prominente caput laureatum, vel nudum offert, & in averſa equum vel equitem; hos perantiquos puto. *Secunda* figuris minus exſtantibus capita vario ornatu, etiam diademate gemmato cincta objicit, ac in averſa non equitem duntaxat, ſed interdum leonem, gallum &c. refert, atque fabrica eſt non raro mediocriter barbara. Horum numiſmatum pleraque, præſertim diademato, & gemmis ornato capite inſignia, ad quartum ſaltem Æræ Chriſtianæ ſæculum removenda ſuſpicor. *Tertia* claſſis eſt eorum, quæ extremam barbariem ſpirant, & varii ſunt moduli, vix ut caput in iis, aut averſæ partis figuram dignoſcas. De his ne probabile quidem aliquid proferre auſim, niſi poſt ſextum fere ſæculum a variis bar-

ba-

baris, Mœſiam, Macedoniam, Thraciam, Pannoniam inundantibus, Hunnis, Slavis, Bulgaris, aliisve procuſa videri.

Ea numiſmatum argenteorum barbaries ex Thracia in vicinas etiam quasdam inſulas ſe diffudit. Nota ſunt, & paſſim obvia ΘΑΣΙΩΝ. *Thaſiorum* argentea tetradrachma numiſmata, cum capite Bacchæ, & Hercule ſtante, inſcripta: ΗΡΑΚΛΕΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΘΑΣΙΩΝ. *Herculis ſervatoris Thaſiorum.* Ejuſcemodi numiſmatum *Thaſiorum* bene longam ſeriem ordinaveram in *Cimelio Auſtriaco Vindobonenſi*, quæ ab eleganti fabrica incipiens, per complures accreſcentis barbariei gradus, in extremam denique deformitatem deſinit, incertis primum literis mancisque, ac male ductis figuris, quæ demum omnia meris fere punctulis conſtare videantur. Jucundum ſane eſt hunc barbariei invaleſcentis proceſſum, in hiſce unius urbis & inſulæ numis, contemplari, in quibus inſcriptionis literæ, varie de-

for-

formatæ, diverſam a conſtante illa epigraphe ΗΡΑΚΛΕΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. . . . lectionem inſpicienti offerunt.

Id cauſæ eſt, cur nonnihil dubitem : ſitne in numiſmate id genus barbaro (quod in *hiſtoria regum Thraciæ*, ab eruditiſſimo CARY conſcripta, (*t*) productum eſt) ſitne inquam illic ſatis certa lectio, a viro quidem doctiſſimo, CL. RICHTERO, una cum numiſmatis effigie, propoſita, nempe ΚΟΤΤΟC. ΧΑΡΑΚΤΗ. loco ΗΡΑΚΛΕΟC. CΩΤΗΡΟC. Sed hæc ab accuratiſſima numiſmatis ipſius inſpectione ac delineatione pendent, quod in Sereniſſimi, Regiique ac Electoralis Saxoniæ Principis cimelio aſſervatur. Utinam exiſteret alicunde eruditorum aliquis, qui aut pari, aut etiam meliore delectu, felicioreque eventu, quam de Hiſpanicis LASTANOSA, incognitos hoſce Thraciæ, Mœſiæ, Pæoniæ, totiusque Illyrici late ſumti, numos explicandos digerendosque ſuſciperet. AD

(t) *Hiſtoire des Rois de Thrace. Tab. II. N. 10. & pag. 76. &c.*

AD ARCHELAI MACEDONIÆ REGIS NUMISMA.

Sisto hic aliquot Archelai Macedonici numorum descriptionem, quorum quidem jam unum protuli, alios vulgatos novi; sed quia raritate insignes sunt, & mihi, in Macedoniæ regum seriem lateralem accuratius inquirendi ansam præbuere, hic una repræsentandos duxi, indicatis locis, ubi eorum iconismi exhibeantur.

I. Protome viri capite diademato, vultu barbato, naso aquilino: ad occiput monogramma.

ΑΡΧΕΛΑΟΥ. *Archelai.* Equus stans, intra quadratum incusum. *Æneus III. vel II.* (a)

(a) HAYM, *Tesoro Britannico: Tomo II. pag. 9.*

II. Caput imberbe diadematum.

ΑΡΧΕΛΑΟΥ. *Archelai.* Equus ſtans, intra quadratum incuſum. *Argenteus I.*

III. Similis pars averſa; ſed in adverſa Caput Herculis, leonis rictu tectum. *Arg. I.* (*b*)

IV. Archelaus equo currenti inſidens, caput pileo tectum, vultu imberbi, d. duas haſtas præpilatas, deorſum inclinatas tenet, s. frænum.

ΑΡΧΕΛΑΟ. *Archelai.* Dimidium animal caprinum reſpiciens. *Arg. I.* (*c*)

Priora duo horum numiſmatum vultus regum exhibent, inter ſe omnino diverſos; qua de cauſa eidem *Archelao* ambo tribui non

(b) GOLTZII, *Græciæ ejusque inſularum num. Tab. XXIX. num. I. & II.* BEGERUS *Brandeb.*

(c) *Regum veterum numiſmata anecdota aut variora, pag. 1. & Tab. I. ex cimelio excell. Com. & Generalis Arioſti Vindobonæ.*

non poſſunt. Macedonica tamen ambo ſunt, aut vicinæ regionis, numiſmata : & vero omnia quatuor hic deſcripta. Duo igitur admittendi erunt *Archelai*, Macedoniæ reges, aut Principes.

De priore *Archelao*, Perdiccæ filio, ſatis multa in libello, cujus iſthic ſupplementa damus, protulimus: de altero, Amyntæ II. filio, dubitavimus, an is omnino in Macedoniæ regum ſeriem admittendus ſit, cujus ſolus JUSTINUS, & loco nonnihil ambiguo, meminiſſet, atque tempora ipſa cum JUSTINI ſerie ſatis componi poſſe non viderentur.

Attamen cum *Archelaum* alterum, quam a JUSTINO, & obſcure ab EUSEBIO, proditum, non invenirem, de conciliandis ſcriptoribus cogitare cœpi. Itaque ſeriem genealogicam & chronologicam a me jam antehac propoſitam, & quod ad ordinem ab Amynta I. ad Alexandrum M. ejusque an-

nos jam comprobatam, nihil immuto; ſed tantum Amyntæ II. (vel III.) genealogia pleniore inſerta, hic augendam putavi. Adſcripſi annos ante Æram Chriſti, quo quiſque regnare cœpit, ac deſiit, quantum aſſequi licuit, a Perdicca II. inchoando.

AMYNTAS I.

Alexander I. — Gygea *uxor* Bubaris Perſæ. — Menelaus, (Tharrhaleos cognomine,) *nothus*.

Perdicas II. † 407. Simiche *Concub.* — Philippus. — Alcetas. — Alexander. *ſeu* Derdas.

Archelaus I. 407. † 400. — Amyntas.

Oreſtes † 400.

Deſinit linea recta.

- - - - - -

Æropus 400. † 394.

Pauſanias 394. † 393. *occiſus ab Amynta II.*

Amyntas II. (vel III.) 393. - - † 369. vel 370.

Uxor I. Amyntæ Eurydice.

Uxor II. Amyntæ Gygæa.

Alexander II. Rex 369 † 368. — Perdiccas III. R. 365. † 360. — Philippus. R. 360 † 336.

Philippi *Uxor* Olympias — Alexander M. R. 336. † 324.

Archelaus II. — Archideus. Menelaus. *occiſi omnes a Philippo fratre circa annum 348.*

Ptolemæus Alorites *nothus*. R.

Sche-

Schematis hujus genealogici pleraque jam comprobata dedimus : reliquum eſt, ut Amyntæ II. (qui fuit Philippi pater, & Alexandri M. avus) patrem fuiſſe oſtendamus *Menelaum* cognomento Tharrhaleum, Θαῤῥάλεον (quod *audacem* vel *magnanimum*, ſonat) e Carani, vel Perdiccæ ſtirpe deſcendentem, atque ut quædam obſerventur, quæ obmoveri poſſent. Amyntæ itaque ſecundi, ſeu avi Alexandri M., patrem *Menelaum* nomine ÆLIANUS ita prodidit, (*d*) indicata etiam Archelai primi matre: „ Archelaus „ autem *(prior)* Macedonum rex, ſerva Si- „ micha progenitus erat. Menelaus, Philip- „ pi avus, in nothis numerabatur. „ Cujus vero filius illegitimus hic *Menelaus* fuerit, de Alexandri I. rebus agens JUSTINUS hiſce aperit: (*e*) „ Per ordinem deinde „ ſucceſſionis regnum Macedoniæ ad Amyn- „ tam, fratris ejus *(Alexandri I.)* Menelai „

(d) ÆLIANUS, *hiſtoriæ variæ Cap. XLII. pag. 737. editio Perizonii Lugd. B. 1701.* Μενελαος ὁ φιλίππυ παππος εἰς τὲς νόθυς ετελει.

(e) JUSTINUS, *Lib. VII. Cap. 4.*

filium pervenit. „ Si *Menelaus* regis Alexandri I. frater fuit, patrem ambo nacti ſunt *Amyntam I.* ex Perdiccæ, vel ex *Carani* ſtirpe certo deſcendentem.

At enim Amyntæ II. patrem Θαρράλεϑ THARRHALEI nomine appellat DIODORUS SICULUS. *(f)* Iſtud itaque (ſecundum SUIDAM, *animoſi* ſeu *audacis* vocabulum) cognomen *Menelai* fuit; perfrequenter ſiquidem hiſtorici veteres, proprio regum omiſſo nomine, cognomento utebantur: quod in Ptolemæis Ægypti, Arſacidis Parthiæ, Antiochis, Seleucis, Demetriis Syriæ regibus, aliisque ita obvium eſt, ut exempla proferre, ſupervacaneum putem. Habemus ita Amyntam II. *Menelai Tharrhalei* filium, Amyntæ I. nepotem.

At

(f) DIODORUS SICULUS, *Lib. XV. pag. 373. edit. Wechel.* Ἀμύνλας μὲν Θαῤῥαλέϑ βασιλεύων τῆς Μακεδονίας, ἐτελεύτησεν ἄρξας ἔτη εἴκοσι ϗ τέτταρα, υἱὸς ἀπολιπὼν τρεῖς. *Amyntas quidem Tharrhalei filius cum regnaſſet in Macedonia annos quatuor & viginti, mortuus eſt, relictis filiis tribus. Hæc refert archonte Athenis Dyſnicето, qui erat Olymp. CII. annus tertius, ante æram Chriſti 369. vel 370.*

At illud objici poſſet: EUSEBIUM ex DEXIPPO Amyntæ II^di patrem nominaſſe *Aridæum*, prioris Amyntæ filium. (g) Hunc *Aridæum* (quem Alexandri I. filium DEXIPPUS paullo poſt appellat) *Philippum* eſſe, Alexandri I. filium, cognomine *Aridæum*, & Amyntæ noſtri II^di patrem, cenſuit REINERUS REINECCIUS, (h) etiam fortaſſis ideo; quod deinde quoque *Philippus* Alexandri M. frater, hoc *Aridæi* cognomine compareat. Attamen ÆLIANI teſtimonio haud recte nititur Vir pereruditus, cujus diſerta de MENELAO verba protulimus, adſtipulante citra dubium JUSTINO, & probabiliter DIODORO. Itaque DEXIPPUM facile, duorum antiquiorum teſtium cauſa, quod Amyntæ II. patrem ſpectat, deſerimus, tametſi *Amyntas* alius *Philippo* (fortaſſe *Aridæo* compellato) filius obtigerit, alius *Menelao*; ſed Philippus ille neque nothus erat, neque Alexandri I. frater, quo-

(g) EUSEBIUS *ex* DEXIPPO, *Chronico priore, pag. 47. in Theſauro tempor. Scaligeri:* Ἀμύντας δὲ . . . καταλέλιπεν υἱὸν Ἀριδαῖον, ᾧ παῖς γέγονεν Ἀμύντας ἕτερος: *& inferius:* υἱὸς μὲν Ἀριδαίου.

(h) *Hiſtoriæ Juliæ ſeu ſyntagmatis heroici Parte II. de regno Macedon. pag. 9. & in fine Tabula genealog. II. ubi tres Archelaos, proponit, uti & pag. 19. 20. 24.*

quorum alterum ÆLIANUS, alterum JUSTINUS perhibuit de Menelao, Amyntæ ſecundi patre, Philippi avo, Alexandri M. proavo.

Amyntas itaque, ſecundus hoc nomine Macedoniæ rex (ſeu tertius, ſi Amyntas, Philippi filius, regum ordini inſeratur) filius fuit *Menelai Tharrhalei*, atque pater *Archelai II.* Nam JUSTINUS (*i*) duas uxores, cum ternis utriusque filiis, huic Amyntæ II. tribuit, eo ordine, quem in ſuperius exhibito genealogico ſchemate videre licet: ubi *Archelaus II*, ex Gygæa altera conjuge, primus ordine eſt *Amyntæ II.* (vel III.) filius.

De hoc *Archelao* fortaſſe EUSEBIUS eſt benigne accipiendus *in Chronico poſteriore* (*k*) dum poſt *Archelaum I.* & *Oreſten*, alterum *Archelaum* in regum ordine collocavit. Verum hic *Arche-*

(i) JUSTINUS, *Lib. VII. Cap. 4.*

(k) EUSEBIUS *in chronico poſteriore, ſeu chronico Canone pag. 158. ad annum tertium Olympiadis XCIII.*

chelaus II, ad ordinem illum inferioris ac maritimæ Macedoniæ regum non videtur referendus; quippe cujus neque DIODORUS, neque ſcriptores alii meminiſſent.

Neque itaque aſſentior REINECCIO (*l*), qui *Archelaum* (Euſebianum, ut opinor) Archelai I, ac certiſſimi, filium incertiſſimum proponit, quem, EUSEBII gratia, Archelao primo ſubjunxiſſe REINECCIUS mihi quidem videtur; ſed alia auctoritate omni hac in re deſtitutus. Solum enim Oreſten, parvulum Archelao I. ſuperſtitem filium, DIODORUS tribuit, (*m*) ab Æropo tutore interfectum, cum quo ſtirpis regum Macedoniæ inferioris linea recta deſiit; non ergo hic locus eſt alteri *Archelao Regi*, prioris filio.

Duos igitur duntaxat admittimus *Archelaos Macedonicos reges: Archelaum I.* Perdiccæ

(l) REINERI REINECCII *hiſtor. Juliæ P. III. de regno Macedon. pag. 19. & 20. & Tabula II.*

(m) DIODORUS SICULUS, *Lib. XIV. pag. 266. Wechel.*

diccæ II. filium, Oreſtis patrem, celebrioris Macedoniæ, nempe inferioris & maritimæ, regem, & *Archelaum II*, Amyntæ II. filium, Menelai Tharrhalei nepotem, quem in parte alia Macedoniæ exiguum regnum aut principatum tenuiſſe arbitramur.

Enim vero plures in Macedonia, præter illos inferioris Macedoniæ magis notos reges, ante Philippi, patris Alexandri M, tempora floruiſſe, cum ex ipſius Philippi hiſtoria, tum antea ex THUCYDIDIS variis teſtimoniis certum eſt; qui dum bellum a Sitalce Thracibusque Macedoniæ illatum exequitur, Perdiccam II. *inferioris & maritimæ Macedoniæ* regem proprie appellat: deinde *Europam* Macedonicum regulum a Sitalce impugnatum, fortiter reſtitiſſe narrat: denique *in reliquam Macedoniam* Thraces proceſſiſſe. (*n*) Idem THUCYDIDES alibi (*o*) *Arrhibæum*, Bromeri filium, a Perdicca II. bello appetitum, com-

me-

(n) THUCYDIDES, *Lib. II. prope finem. pag. 168. & 169. edit. Wechel.*

(o) *Idem, Lib. IV. pag. 307. & 334. 335.*

memorat, vocatque *Lynceſtarum Macedonum regem.*

Porro autem proprie de *Archelao II*, Amyntæ II. filio, ut loquamur, ad eundem, ejusque ex Gygæa uterinos fratres *Archideum*, & *Menelaum*, aliquam regni Macedonici portionem perveniſſe, ex JUSTINO diſcimus; ceteri namque *Philippi* uterini fratres, cum *Ptolemæo notho*, in celebri inferioris Macedoniæ regum ſerie occurrunt hoc ordine: *Alexander II*, *Ptolemæus Alorites*, *Perdiccas III.* & *Philippus*. De hoc Philippo parricida ita JUSTINUS: (*p*) „ Poſt hæc Olynthios aggre-
„ ditur: (*Philippus*) receperant enim per
„ miſericordiam, poſt cædem unius, duos fra-
„ tres ejus, quos Philippus, ex noverca
„ (*Gygæa*) genitos veluti participes regni,
„ interficere geſtiebat. Ob hanc igitur cau-
„ ſam urbem antiquam & nobilem exſcindit,
„ & fratres olim deſtinato ſupplicio tradit. „
Atque hoc eſt, quod de Archelao noſtro ſe-

 cundo

(p) JUSTINUS, *Lib. VIII. Cap. III. poſt medium.*

cundo novimus, eundem, velut *participem regni* a Philippo fratre, paullo ante, vel poſt Olynthi excidium, cum fratribus uterinis interemtum fuiſſe.

Ætas & obitus Archelai II. ex everſione Olynthi colligitur, quæ contigit anno ante Chriſtum 348. Porro ex Philippi & Amyntæ II. annis certis conficitur: *Menelai Tharrhalei*, & Amyntæ II. filii, ætatem cum reliqua Macedonum chronologia congruere poſſe; quia quatuor reges ante Amyntam II. vix annos XIV. compleverunt.

Jam ad numiſmata redeamus. Æneum numum I^mum^ Archelai, cum barbato vultu, Archelao I^mo^ adſcribi mallem: argentea vero duo numiſmata, ubi imberbis eſt vultus, atque argenteum cum Herculis capite, Archelao ſecundo fortaſſe rectius tribuentur. Quare numiſma argenteum cum Archelao imberbi equite, & caprino animali, ab Archelao I. ad alterum reſcribendum ſuſpicor; cum quod hac

ætate

ætate complura certaque regum Macedoniæ numiſmata imberbes vultus exhibeant, tum quod primus æneus ille numulus tota ſua ſpecie vetuſtius quidpiam præ ſe ferat.

Denique ad hoc Archelai numiſma, quod caprinum animal exhibet, adnotare lubet: fortaſſe idcirco etiam capri figuram *Archelai* monetæ inſculptam fuiſſe; quod ipſe *Caranus*, qui capris ducibus Edeſſam olim occuparat, ab auctoribus non ſpernendis ARCHELAUS nominetur. DIO PRUSÆUS de Macedoniæ fundatore quædam acute inſpergens, ita ſcribit: „ An non paſtor caprarum fuit ARCHELAUS? „ nonne venit in Macedoniam pellens capras? ----- „ (*q*) Suffragatur huic HYGINUS: „ ARCHELAUS Timeni (*Temeni*) „ filius, a fratribus ejectus in Macedoniam „ ad regem Ciſſeum venit. ------ Inde profugit ex reſponſo Apollinis in Macedoniam „ capra duce, oppidumque ex nomine capræ

(q) DIO PRUSÆUS *in oratione IV. de regno pag. 35. edit. Venetæ latinæ 1585. in folio.*

„ Ægeas conſtituit. „ (*r*) Hæc olim obſervata ſunt ab REINERO REINECCIO, & a VALESIO *ad Peireſciana*, atque relata a GRONOVIO. (*s*) Illud tamen in theſauro Gronoviano non placet, caput laureatum (in numo Cimelii *de Wilde*, urbis Ægearum, cum capri imagine) Carano per conjecturam adſcribi; quando ipſe Cl. WILDIUS (*t*) caput illud Apollini tribuendum eſſe multo probabilius opinatur. Ejus numi iconiſmum apud GRONOVIUM, & *de Wilde* videre licet.

AD

(r) HYGINUS *fabula CCXIX.*

(s) JACOBI GRONOVII, *Theſaurus Græcarum antiquit. Volum. II. pag. 24. ad Caranum.*

(t) DE WILDE *ſelecta numiſmata antiqua. Tab. VIII. N. 47. & pag. 72.*

AD ARSAMIS, RE IPSA SAMI, REGIS NUMISMA.

ARſamis, uti putabam, numiſma accuratius expreſſum ſiſto; ubi numi nævus figuram τ͂ῦ P mihi aliisque objecerat, ut APΣAMOϒ legeremus, ubi ΣAMOϒ ſolum certo legitur. Confirmatur hæc lectio e numo, cujus iconiſmus Pariſiis ad nos per deſideratiſſimum DE BOZE miſſus fuerat, cum alio numi *Xerxis regis* iconiſmo. De his duobus numis, regibusque, tametſi anno ſuperiore egerim paullo prolixius in eo libello, quem inſcripſi: *Dubia de Minniſari, aliorumque Armeniæ Regum numis, & de Æra parthica*; attamen hic res poſtulat, uti numismata illa, cum noſtro *Sami* numiſmate, repræſententur, alioqui eximia raritate præſtantia.

Caput tiara cuſpidata ornatum imberbe.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣAMOϒ. ΘΕΟΣΕΒΟϒΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟϒ. *Regis Sami, Deum colentis*

lentis & Juſti. Thyrſus cum tæniis. *Æneus II. Cimelii Auſtriaci Vindobon. Vide Tab. I. fig. VIII.* (*)

Caput imberbe cum corona radiata.

Eadem inſcriptio, quæ in præcedente: Victoria gradiens, d: coronam, s: palmam; infra ΓΛ. *Triceſimo tertio* anno. *Æneus III. a Bozio ſubmiſſa icon.) Vide Tab. I. fig. IX.*

Caput, tiara ſeu pileo gemmato, in cuſpidem convergente tectum, vultu barbato.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΞΕΡΞΟΥ. *Regis Xerxis.* Victoria ſtans, d: coronam protendit, s: ſcutum ad terram. In area ante pedes H. *Æn. III. In Cimelio Regis Chriſtianiſſimi. Vide Tab. I. fig. X.*

De Xerxe rege res eſt ſatis perſpicua: hunc numum referendum eſſe ad Armoſatarum,

(*) *Hoc numiſma Sami regis accuratiſſime delineatum, uti hic repræſentatur, edidimus inter Cimelii Auſtriaci Vindobonenſis numiſmata anecdota, aut rariora Tab. XV. N. 22.*

rum, ſeu Arſamoſatarum regem ejus nominis, de quo ita POLYBIUS: (*u*) „ Cum Antio- „ chus caſtris poſitis ad Armoſata (urbs eſt „ inter Euphratem & Tigrim ſita, in campo, „ qui pulcher dicitur) urbis obſidionem ap- „ pararet; Xerxes illius urbis regulus, in- „ tellecto regis apparatu primum quidem fu- „ ga ſibi conſuluit. Poſtea veritus, ne oc- „ cupata ab hoſtibus regia, regnum ipſius „ omne everteretur, conſilium ſuum damna- „ vit, legatisque ad Antiochum miſſis, liben- „ ter cum eo collocuturum ſe eſſe dixit. Et „ Antiochi quidem amici ajebant, dimitten- „ dum non eſſe juvenem, quem in poteſtate „ haberent, ſed occupata urbe ejus imperium „ Mithridati, ſororis ejus (Antiochi) filio, „ tradendum eſſe. At rex poſthabito eorum „ conſilio, evocato ad ſe juveni inimicitiam „ condonavit, ac tributorum, quæ ab illius „ patre debebantur, maximam ei partem re- „ miſit: acceptisque confeſtim trecentis ta- „

 lentis,

(u) *Excerpta ex* POLYBIO *de virtutibus & vitiis, ex Lib. VIII. pag. 1308. edit. Amſtelod. 1670.*

Græca omiſimus, ne typothetis crucem figeremus.

„ lentis, ac mille equis, jumentisque toti-
„ dem, una cum ornamentis, ac phaleris, re-
„ gnum ejus ipſe ordinavit, & copulata ei-
„ dem ſorore Antiochide, omnes harum re-
„ gionum incolas ad ſui amorem allexit, ac
„ provocavit, cum magno, ac prorſus regio
„ animo in his uſus eſſe videretur. „

Antiochus rex, hic a POLYBIO memoratus, eſt ejus nominis rex Syriæ quartus, Θεὸς *Epiphanes* in numis compellatus. Antiochi enim tertii, *Magni* cognomine (qui quarto pater fuit) filia, Mithridatem, Ariarathi V. Cappadociæ regi marito ſuo peperit: uti ex DIODORO SICULO certum eſt. (*x*)

„ Is (*Ariarathes*) filiam Antiochi, Magni
„ compellati, conjugem accepit, Antiochi-
„ dem nomine..... ea præter ſpem duas fi-
„ lias peperit, unumque filium, nomine Mi-
„ thridatem. „

Hunc

(x) *Excerpta ex* DIODORI SICULI *Libro XXXI. ecloga III. pag. 895. edit. Wechel.* Οὗτος δ' ἔσχημε θυγατέρα τῦ μεγάλυ κληθέντος Ἀντιόχυ, ὀνομαζομένην Ἀντιοχίδα. . . . τεκεῖν αὐτὴν δύο μὲν θυγατέρας, υἱὸν δὲ ἕνα τὸν ὀνομαθέντα Μιθριδάτης.

Hunc Xerxen, regem Armoſatenum, tempore Antiochi IV, & quidem, ut opinor, ſub finem ejusdem regni, juvenem, (νεάνισκον) aut adoleſcentem potius appellat POLYBIUS; quare circiter annorum duodeviginti, aut infra, tum fuerit Xerxes. Porro in numo Xerxes eo jam vultu, eaque cum barba comparet, ut facile quadragenario majorem agnoſcas. Xerxen itaque ad Antiochi Evergetæ tempora perduxiſſe vitam opinor, atque victoriam in numo Xerxis ſignatam (niſi Xerxis ipſius aliqua ſit) pertinere poſſe ad devictum Tryphonem tyrannum, atque e medio ſublatum, videtur potius dicendum: *anno* ante Chriſtum CXXXIX, & ſequente.

De Samo rege nihil omnino certi ſuppetit. *Samum* Chryſogoni filium, cum rege Syriæ Antiocho III. Magno, enutritum, ipſumque Chryſogonum, patrem Sami, amicum regis Macedoniæ Philippi, prodidit POLYBIUS. (y)

(y) POLYBIUS *lib. V. hiſtoriarum, pag. 499. & excerpta de Virtutibus & vitiis. ex lib. VII. p. 1371. Edit. Amſtelodam. 1670. in 8vo.*

Huic Samo ſuſpicor ad Euphratem regnum aliquod exiguum & clientelæ nomine ab Antiocho III, aut quarto, conceſſum fuiſſe, atque in numo *Sami*, ubi caput imberbe cum corona radiata viſitur, caput illud Antiochi quarti eſſe judico, qui primus tali cum corona in numis comparet, titulumque Θεοῦ impie uſurpavit. Quare & *Samus* rex Θεοσεβ͂ς *Deum colentis* ſingulari titulo iſthic compellatus, videtur ſeſe Antiochi Θε͂ Epiphanis cultorem profiteri. Ab hoc SAMO nomen habere poteſt SAMOSATA urbs Commagenes ad Euphratem, cujus antiquiorem *Polybio* memoriam non inveni.

Quæcunque itaque antea de *Arſame* diſceptaveram, cuinam *Arſami* numus iſte tribuendus ſit? ea jam dicta nolo, ſed *Samo* regi numum reſtituo. Hiſtoricam tamen ad rem non inutilia fortaſſe eſſe poterunt, quæ de diverſis viris Illuſtribus, *Arſamis* nomine apud veteres occurentibus, illius numi occaſione diſſeruimus.

AD

AD SELEUCI I. SYRIÆ REGIS NUMISMA.

ADjungi Seleuci I. numo ſingulari meretur numus alter æneus Antiochi Evergetæ, Syriæ regis, itidem, uti prior, e Cimelio Excellentiſſimi ac eruditiſſimi Marchionis ANTONII SAVORGNAN Senatoris ac Decemviri Sereniſs. R. Publ. Venetæ. Idem Illuſtriſs. Marchio ſimilem numum, quem duplicem habebat, mihi dono miſerat. Eſt vero hic Antiochi Evergetæ numus, quod figuras attinet, inter Syriacos obvius, ſed epochæ notis, integre & eleganter expreſſis, omnino memorabilis.

Protome, humero alato, ſeu Victoriæ, ſeu Famæ, aut Cupidinis.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Regis Antiochi Benefici.* Flos loti, infra quem epocha: ΕΠΡ. *Anno 185. Æneus III. Vide Tab. II. Fig. I.*

Hic numus, auro contra charus, mire confirmat meam de Antiochi Evergetæ obitu opinionem, quam alibi fusius exposui (z) Nempe cum, ad mentem auctorum profanorum, interitus Antiochi Evergetæ referendus fuisset ad annum ante Æram Christi CXXX., Seleucidarum CLXXXII. vel sequentem, quo Antiochum a Parthis victum fuisse constat; ego contra ad annum circiter Seleucidarum CLXXXVI. Evergetæ necem submovi, tribus de causis: I^mo quod historici illi profani mire varient de mortis genere, quo Antiochus illo in prælio occubuisset. II^do Quod Numos hujus Antiochi annis CLXXXIII. & CLXXXIV. insignes observaverim. III^tio Quod *Lib. II. Macchabæorum Cap. I.* in Epistolæ fragmento Antiochus Syriæ Rex memoretur, recenter in Perside in templo Nanææ a sacerdotibus occisus; ea vero Epistola præ se ferat annum Seleucidarum CLXXXVI.; porro isthic Antiocho-

(z) ERASMI FROELICH *S. J. Annales compendiarii Regum & rerum Syriæ: Prolegomenorum Parte III. Cap. IV. pag. 44. & Annalium pag. 82. & 86.*

tiochorum regum alius, quam Evergetes intelligi posse non videatur.

Hic igitur æneus numus, Antiochi Evergetæ anno omnimodis certo *Seleucidarum* CLXXXV. insignis, & opinioni meæ, & quod magis gaudeo, *Lib. II. Macchabæorum* historicæ veritati invicte suffragatur. Quam vellem horum numorum alterutrum (duo enim extant, unus Venetiis, alter Vindobonæ) conspiceret Cl. GOTTLIEB WERNSDORFFIUS, qui opinionem illam nostram nequidquam impugnavit. (*a*)

Alexandri II. Syriæ regis numisma argenteum, primi moduli, in altera *Annalium compend. regum & rerum Syriæ*, editione recensui, e Cimelio Excellentissimi SAVORGNANI, quod præter caput Alexandri II. diadematum, in

(a) GOTTLIEB WERNSDORFFII, *Commentatio Historico-Critica de fide historica lib. Maccab. pag. 70. &c. Vide etiam responsum: Autoritas utriusque lib. Macchab. Historico-Canonica adserta &c. a pag. 214. ad 222. & a pag. 231. ad 234.*

in averſa exhibet Jovem ſedentem, cum epigraphe ſolita ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. & epocha memorabili qP. *Anno 190.* Is annus egregie conſtabilit annum poſtremum regni hujus Alexandri, quem eidem ex PORPHYRIO & numis, in *Annalibus* tribuimus; idem quippe *annus 190.* æræ Seleucidarum occurrit in numis Antiochi VIII, Grypi dicti, qui Alexandrum II. æmulum e medio ſuſtulit anno ante Æram Chriſti 122. inclinante, ſub finem anni Seleucidarum 190, aut inchoato, in autumno, anno 191. (*).

AD

(*) *Annales compend. regum & rerum Syriæ editio altera: in præfatione: item annalium pag. 94. & 86.*

AD PARTHICOS ET PERSICOS REGES.

PArthici regis, ex Arſacidarum ſtirpe, numum ea parte ſingularem hic ſiſto, qua caput regis pleno adverſoque vultu exhibet, quod hactenus non obſervavi. Eſt in cimelio prædivite excell. Marchionis ANTONII SAVORGNAN.

Protome regis, barbato vultu adverſo, diademato capite, candy tecta.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. - - - - - - - - - - ΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Regis Magni (Arſacis - - - - -) Ev-* (vel) *Theo-* (vel) *Philopatoris, Benefici, Illuſtris, Græcorum amici.* Parthus ſedens, d: arcum, infra quem monogramma, quaſi M. *Argent. III. Vide Tab. II. Fig. II.*

Ad quemnam Arſacem referendus ſit hic numus, epocha deſtitutus, fateor me ignorare; nam ordinem Parthicorum numiſmatum, quem VAILLANTIUS, etſi eruditione & antiquorum numorum cognitione clariſſimus, conſtituit, minime certum arbitror, demtis quibusdam utriusque Vologeſis numis, epochæ numero inſignibus.

Perſicis quoque numiſmatibus argenteis, quos e Cimelio FRANCISCI. IMP. AVG. vulgaveram, hic accedunt duo, alterum quidem noſtro, jam exhibito, ſimile; ſed in hoc novo characteres nonnulli accuratius dignoſcuntur: alterum eſt averſæ partis typo, qui aram igniferam refert, aliquantum a Cæſareis illis numis diverſo. *Vide Tabula II. Fig. III. & IV.* Amborum numiſmatum iconiſmos nobis e præſtantiſſimo cimelio ſuo Florentia benigne communicavit Vir celeberrimus, illuſtriſſimus D. Baro DE STOSCH. Equidem Perſica id genus numiſmata nemo dum explicavit; colligenda tamen ſunt quam plurima,

&

& accuratis iconiſmis exprimenda, donec tentari aliquid legendo & exponendo, cum ſpe ſucceſſus, poſſit.

AD NUMIDIÆ ET MAURETANIÆ REGES.

NUmorum trigam hic ſiſtimus, quorum prior res duo ad Jubam ſecundum, tertius ad Ptolemæum, Jubæ filium, certo ſpectant. Primi ac tertii notitiam & iconiſmum debeo liberalitati atque eruditioni Excell. Marchionis ANTONII SAVORGNAN: medius horum jam quidem antea a nobis e theſauro Vindobonenſi propoſitus eſt, ſed meliore hic iconiſmo repræſentatur

REX. IVBA. Caput Jubæ junioris imberbe, rictu leonis tectum: a tergo clava.

R. XXXXII. *Regni quadrageſimo ſecundo* anno. Capricornus d: pede temonem, s: glo-

bum tenet: ſupra cornu copiæ. *Argent. III. Vide Tab. II. Fig. V.* Ob capitis tegumentum rariſſimus eſt hic numus.

REX. IVBA. Caput ejusdem diadematum.

ET. MΓ. *Anno XLIII.* Clava & epocha, intra lauream *Argent. III. Tab. II. Fig. VI.*

REX. PTOLEMÆUS. Caput Ptolemæi, Jubæ & Cleopatræ junioris filii, imberbe, diadematum

R. A. VII. *Regni anno ſeptimo.* Elephas ſtans, dextro anteriore pede calcat navis partem. *Arg. III. Vide Tab. II. Fig. VII.*

Pars averſa hujus numi ſingularis eſt, & ob anni numerum, & elephantis figuram, qua indicari videtur Cleopatræ junioris, Jubæ matris, genus Ægyptiacum, & ſpes aliqua regni Ægypti, ob quam fortaſſe potius Cajus Caligula Auguſtus interfici juſſit Ptolemæum, quam ob divitias, & invidiam nimii ſplendoris,

doris, quem Romæ oſtentavit, (*b*) teſte SVETONIO, ac DIONE. De Jubæ hujus, & Ptolemæi annis regni ſatis jam ſuo loco diſceptatum eſt.

AD JUDAICOS REGES.

HErodis magni numum, quem profeſſus ſum me ſatis accurato iconiſmo exhibere non potuiſſe, repræſento correctum, e cimelio laudatiſſimi Marchionis SAVORGNANI.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΡΩΔΟΥ. in medio ЄΙ. *Regis Herodis: decimo quinto* regni anno. Galea criſtata.

Scuta quatuor in orbem diſpoſita, limbo ornato concluſa. *Æn. III. Vide Tab. II. Fig. VIII.*

(b) SVETONIUS *in Cajo Caligula ſeu Lib. IV. cap. 26. & cap. 35.* DIO CASSIUS *Lib. LIX. pag. 659. Edit. Wechelian.*

Annus *regni* Herodis magni quintus decimus incidit in annum ante Æram Chriſti XXXVI. vel ſequentem XXXV.

Agrippæ I. regis numis adjungendus eſt ſequens, e cimelio Bodlejano deſumtus, ac ſingularis (*c*)

ΑΓΡΙ.----- ΣΙΛΕΥΣ. *Agrippa Rex.* Caput Agrippæ I^mi diadematum.

ΑΓΡΙΠΠΑ. ΥΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Agrippæ filii Regis,* (Agrippæ ſenioris.) Agrippa junior eques.

Hic numus cuſus fuerit paucis ante mortem Agrippæ I^mi annis; reliquit enim filium XVII. annos natum. (*d*)

Ejus-

(c) *Catalogus numorum antiquorum, ſcriniis Bodlejanis reconditorum, cum Commentario tabulis æneis, & appendice, pag. 100. Ita in Actis Erudit. Lipſ. an. 1752. Martii Parte I. pag. 97.*

(d) FLAV. JOSEPH. *lib. XIX. antiquit. Jud. cap. ultimo.*

Ejusdem Agrippæ I. aliud insigne numisma anecdotum profero rursum e *thesauro Savorgniano.*

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΑΣ. ΙΕΙ. . . . C. Quod lego: *Cæsareæ Augustæ Sacræ* vel ΙΕΡ. AC. *Sacræ*, & *Asylo gaudentis.* Caput Caii Caligulæ laureatum.

ΒΑΣΙΛ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Γ. *Regis Agrippæ: anno tertio.* Currus triumphalis, a quadriga equorum trahitur, in eo figura stans, d: scipionem. *Æn. II. Vide Tab. II. Fig. IX.*

Agrippam primum regio donatum esse titulo a Cajo Caligula, ipso sui imperii primordio, nempe Æræ vulgaris anno XXXVII, circa finem martii, satis constat. Itaque hïc numus cusus est anno XXXVIIII. aut initio sequentis. Quadriga, quasi triumphalis, mihi potius videtur a Cajo gestum anno XXXIX. consulatum secundum, & solemnem processum consularem indicare; quod scipionem etiam dextra, non palmam, gerere, figura currui

currui insistens, videatur. Cajus quidem anno XXXIX. expeditione Germanica cum nihil egisset, *Imperatorem septimo* se tamen salutari voluit, DIONE teste (*e*): atque deinde Galba duce, Germani, Galliam insultantes, victi, ac repulsi sunt. Sed triumphum de Germanis egisse Cajum non legimus. Ridiculum vero, quem de conchis, ad littus Britannicum collectis, triumphum magnifice apparabat Cajus, seu pudore, seu senatus odio, deinde intermisit, atque ovans duntaxat urbem ingressus est anno quadragesimo. (*f*)

Cuinam *Cæsareæ* hic numus adscribendus sit, & item alius, quem ex VAILLANTIO adnotaveram, in quo (præter Caij Aug. caput & nomen) legitur: ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΑΣΥΛΟΥ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΥ. *Cæsareæ Asylo gaudentis: Agrippa rex* vel *regnante*; dubium subnascitur; nam *Cæsarea Palæstinæ*, quæ

(e) DIO CASSIUS *lib. LIX. pag. 657. Item* SVETONIUS *in Cajo, seu lib. IV. cap. 44. & 45.*

(f) DIO *ibidem pag. 659.* SVETONIUS *lib. IV. in Cajo cap. 46. 47. 48. 49.*

quæ antea *Turris Stratonis* dicta, ab Herode Magno aucta, ac *Cæſarea* appellata fuerat, celebris inquam, hæc Cæſarea Palæſtinæ, aut ad Judæam (quæ in provinciam poſt Herodis magni obitum redacta, & Syriæ obnoxia, præſidi Romano tum parebat) aut proprie ad ipſam Syriam ſpectabat. Altera vero *Cæſarea Paneas*, ſeu *Cæſarea Philippi*, in Philippi tetrarchia ſita erat; porro tetrarchiam Philippi donatam a Cajo Agrippæ fuiſſe FLAV. JOSEPHUS diſerte commemorat. (*g*) Itaque ad Cæſaream Philippi, in Iturea ſitam, numos illos duos potius reſcribendos puto; tametſi nihil obſtet, Cæſareæ in Syria numos cum capite Imperatoris, ac ſolo nomine Regis Agrippæ, qui & amicus Caij Auguſti, & prætoriis honoribus ab ſenatu auctus fuerit, ſignatos fuiſſe; quod Herodi, Agrippæ avo, amplitudinem ſuam, ſplendoremque hæc Cæſarea deberet.

(g) *Lib. XVIII. antiquitatum Judaic. Cap. VI. ſub finem.*

AD ALANUM REGEM.

REtractanda hic ſunt, quæ ad numum ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΑΝΟΥ. de Alanorum rege *Alano* conjeceram. Nam Excell. SAVORGNANUS miſſis ad me aliquot ſimilium numorum, in cimelio ſuo repoſitorum, iconiſmis, facile lectionis errorem me dedocuit; cum in noſtro numo litera B extrita ſit, neque ſui veſtigium indicet, in ſubmiſſis vero iconiſmis, inter ſe collatis, quorum tres exhibeo, τὸ ΒΑΛΑΝΟΥ ſatis certo legatur.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΛΑΝΟΥ. *Regis Balani.*
Ceres currens, d: facem.

Caput, vel nudum, vel pileo tectum, imberbi vultu. *Vide Tab. III. Fig. I. II. III.*

Itaque miſſo *Alano*, de *Balano rege* cogitandum erat; certam vero ejus notitiam apud LIVIUM inveni; ad annum Urbis Con-

Conditæ DLXXXIV. Coſs. Q. Marcio Philippo iterum, & Cn. Servilio Cæpione, de bello Macedonico, contra Perſeum Macedoniæ regem fervente, agens, ita ſcribit (*h*)

„ Dum bellum in Macedonia geritur, le- „
gati transalpini ab regulo Gallorum (BA- „
LANOS ipſius traditur nomen, gentis, „
ex qua fuerit, non traditur) Romam ve- „
nerunt, pollicentes ad Macedonicum bel- „
lum auxilia. Gratiæ ab ſenatu actæ, mu- „
neraque miſſa, torquis aureus duo pondo, „
& pateræ aureæ quatuor pondo, equus „
phaleratus, armaque equeſtria. „

Græco charactere inſcriptum eſſe Galliæ transalpinæ numum, nemo mirabitur, qui legerit ea, quæ *de Religione Gallorum* veterum ab eruditiſſimo antiquario conſcripta ſunt. (*i*) Forſan etiam *Balanus* haud procul Maſſilia

(h) LIVIUS *Lib. XLIV. Cap. XIV. pag. 641. in uſum Delphini.*

(i) *La religion des Gaulois, tirée des plus pures ſources de l'antiquité. . . . Tom. I. lib. I. pag. 38. &c.*

urbe, pervetuſta illa Phocenſium colonia, rerum potitus eſt. De Cereris tametſi certo cultu apud Gallos, vide in *laudato libro* (*k*) quam pauca tamen monumenta extent; ut hic numulus ſupplemento eſſe poſſit.

AD REGUM BOSPHORI CIMMERII, ET VICINARUM GENTIUM, NUMOS.

BOsphori Cimmerii regum numi, admodum rari, & annorum notis inſignes, jam denique in certum ordinem redigi, eorumque regum ſeriem mire illuſtrare poſſunt, poſteaquam epochæ Bosphoricæ initium citra dubium tenemus. Eruditiſſimus D. CARY eodem anno ſalutis MDCCLII, quo noſtra manuductione conſcriptus libellus: *Regum Vete-*

(k) *Ibidem Tom. II. Lib. IV. Cap. XI.*

Veterum numiſmata anecdota, aut rariora, notis illuſtrata, editus, palamque Auguſtæ Imperatrici ac Reginæ MARIAE THERESIAE, & Sereniſſimo Archiduci JOSEPHO, atque ſummis aulæ Proceribus in Collegio Thereſiano præſentibus, oblatus eſt, eodem inquam anno Vir ille doctiſſimus librum elegantiſſimum Pariſiis vulgavit, hac Epigraphe: *Hiſtoire des Rois de Thrace, & de ceux du Boſphore Cimmerien, éclaircie par les medailles, par M.* CARY *de l'Academie de Marſeille, & de celle de Cortone. Paris MDCCLII.*

Eum librum liberalitate Illuſtris, ac celeberrimi domini RICHTERI, Sereniſs. Poloniarum Regi & Electori Saxoniæ ab aulæ conſiliis, cum nactus eſſem; non ſine gaudio illico vidi, in eandem plane ſententiam me cum doctiſſimo CARY incidiſſe, ſive initium epochæ Boſphoricæ ſpectem, ſive ejusdem cum Pontica æra nexum. Neque tamen alter de alterius quidquam noveramus conatu:

ut plane hæc duorum, & maxime argumentorum conſenſio, certam de epocha regum Boſphori ſententiam reddere videatur.

Illud libens, gaudensque profiteor, opus Cl. CARY eruditionis æque, ac numorum abundantia, utique exiguo noſtro tentamine eſſe præſtantius; quando nobis neque tot cimeliorum communicatæ ſunt opes: neque hiſtoricam regum Boſphori, ſed numiſmaticam fere tantum & chronolog. eorum regum ſeriem promere conſtitutum erat. Aliquos tamen etiam produximus numos, qui in Caryana collectione deſiderantur. His addemus mox alios, atque in præſenti iconiſmum numi Pharnacis exactum ſiſtimus, qui vere antiquus in *Vindobonenſi Auſtriaco Cimelio* extat: nam iconiſmus apud CL. CARY, ex VAILLANTIO duntaxat deſumtus, plane abludit a vero Pharnacis vultu, generoſum quiddam ſpirante.

Caput Pharnacis diadematum, imberbe.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΦΑΡΝΑΚΟΥ. ΕΜΣ. *Regis regum magni Pharnacis: anno 245.* Apollo veſtitus ſedens, dextram extendit ad tripodem adſtantem, ſin: lyræ innititur: in area monogramma.

Aureus ſoliti moduli. Vide Tab. III. Fig. IV.

Accedit porro deſcriptio numi *Aſandri regis*, qui itidem in Theſauro Vindobonenſi viſitur:

Caput diadematum Aſandri, ſine epigraphe.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΣΑΝΔΡΟΥ. *Regis Aſandri.* Victoria inſiſtens proræ navis, d: coronam, s: ramum, in area Δ. *Aureus ſoliti moduli.*

Non omnino certum eſt, hac litera Δ annum regni denotari; probabilius tamen hic, quam in Pharnacis numo, apud VAILLANT, mihi ſuſpecto. Idem quoque ſentit Cl. CARY, de incerta

τῦ Δ ſignificatione in Mithradatis, & Pharnacis numis; etſi in Aſandri numis literæ occurrentes: Δ in *Cæſareo Vindobonenſi*, in aliis apud CARY 5. Z. H. IΔ. annos regni denotare videantur: 4. 6. 7. 8. 14. Egregiam numorum trigam ad Boſphoranorum regum ſeriem adjuvandam e ſuo rurſum cimelio doctiſſimus Marchio SAVORGNANUS ſuffecit, unus eſt *Polemonis prioris*, duo ſunt *Thotorſis regis*. En Polemonis plane exquiſitum numum.

ΜΑΡΚ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. *Marci Antonii Polemonis Summi Sacerdotis.*

Caput Polemonis nudum, juvenile.

Averſæ partis inſcriptio nova, ſed manca, atque adeo incertæ lectionis: ΔΥΝ- - - ΚΑΙΛΑ. - - - - ΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΕΝΝΑΤΩ. aut ſic: ΔΥΝ- - - - ΣΕΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑ - - - - ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. Κ. ΕΝ. ΝΑΤΩ. Quæ fortaſſe ita legi poſſunt: *Dyn - - - - - & Laodicenorum ſacræ* urbis,

bis, & *noni* ordinis, nempe inter communes ejusdem cultus ſacri urbes. Vel: *Et circum habitantium.* Fulmen alatum &, Λ. ⊃. *Tab. III. Fig. V. Æneus, medii moduli.* De epigraphes ſententia inferius agetur.

Polemonis primi, filii Zenonis rhetoris, Laodicea ad Lycum oriundi, hunc eſſe numum, & vultus florentis ætatis index, & *M. Antonii* aſſumta nomina commonſtrant. Notum quippe eſt ex STRABONE, (*l*) conſentiente DIONE, (*m*) M. Antonium Polemoni huic, ob ipſius, & patris, bello Parthico merita, regnum Ponti dediſſe, ad Cappadociam ſiti, circa an. V. C. 715, atque deinde Armeniam minorem adjeciſſe, an. V. C. 721. reipſa poſſidendam. (*n*) Cæſar Auguſtus regnum Polemoni confirmavit,

M Dio-

(l) STRABO *Lib. XII. pag. 867. Edit. Amſtelod. Græcolat.*

(m) DIO CASSIUS *Lib. XLIX. pag. 407. & pag. 418 Edit. Wechel.*

(n) *Vide* CARY *hiſtoire des Rois du Boſphore pag. 38. & 39.*

DIONE teſte, eique per Agrippam Boſphorum dedit. (*o*) Hic numus ante pugnam Actiacam cuſus videtur; vix enim deinde *Marcum Antonium* ſeſe Polemo ſcribendum curaſſet. Plura ſuppetunt regum exterorum numiſmata, in quibus, præter regis nomen, Romani principis adjuncta leguntur nomina, uti: *Luc. Antonius Tarcondimotus*, Ciliciæ ſuperioris, *Tiberius Julius Sauromates*, item *Rheſcuporis*, Boſphori, vel Thraciæ: *Lucius Septimius Abgarus* Edeſſæ reges, aliique in marmoribus vetuſtis, ut *Julia Berenice* & *Julius Agrippa* &c. quæ quidem res nihil difficultatis offert.

Attamen aliud hic occurrit nonnihil implicatum in hoc numo, qui vivente M. Antonio, teſte ipſo vultu juvenili, ac titulo M. Antonii, ſignatus fuit (& fortaſſe ante adeptum Ponti regnum, cum *Regis* titulus non

(o) DIO *Lib. LIII. pag. 513. & Lib. LIV. pag. 538. Vide* CARY *pag. 39. 40.*

non adſit) in quo Polemo APXIEPEYΣ, *Summus Sacerdos*, vel *Pontifex maximus*, nempe ſacrorum in regione aliqua Aſiæ minoris, appellatur; verum in marmore antiquo, ut refert doctiſſimus CARY (haud longo abhinc tempore Cumis in Æolia refoſſo, aut invento,) idem Polemo, ſerius ſub Auguſto, tantum IEPEYΣ, *Sacerdos Romæ, & Imperatoris Cæſaris, Divi filii, Divi Auguſti* &c. Scriptus legitur. En partem inſcriptionis (*p*)

ΜΗΝΟΣ. ΦΡΑΤΡΙΩ. ΔΕΚΑΤ. ΑΠΙΟΝΤΟΣ. ΕΠΙ. ΙΕΡΕΩΣ. ΤΑΣ. ΡΩΜΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΘΕΟΥ. ΥΙΩ. ΘΕΩ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΜΕΓΙΣΤΩ. ΚΑΙ. ΠΑΤΡΟΣ. ΤΗΣ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΤΩ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΣ.....

(p) CARY, *hiſtoire des rois du Boſphore pag. 41. & 42. Latine ita reddo inſcriptionem: Menſe Fratrio (Forte, Dioſcurorum) die viceſima prima, ſub Sacerdote Romæ, & Imperatoris Cæſaris Divi filii, Dei (vel Divi) Auguſti, Pontificis maximi, & Patris patriæ, Polemone, Zenonis filio, Laodiceno....*

Neque iſthic *Regis* ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulus *Polemoni* noſtro, *Zenonis filio*, & *Laodiceno*, adjungitur; etſi hæc inſcriptio non ante deſignari potuerit, quam Octavianus Cæſar *Auguſti* titulum obtinuerit, anno V. C. DCCXXVII, ante Chriſti Æram XXVII.

Illud dici ad hanc inſcriptionem poteſt, eandem anno circiter V. C. DCCXXVIII. conceptam fuiſſe, quo vel Auguſtus non dum Polemoni, qui ab Antonii partibus in bello civili fuiſſet, regnum confirmavit: vel Polemo adulaturus Auguſto, Sacerdotium Romæ & Auguſti præ regio titulo, ejusve loco, in hoc marmore ponendum curaverit. Potuit vero idem Polemo alibi, cum junior eſſet, *Summum Sacerdotium* in Aſiæ minoris parte aliqua gerere, & fors antea, quam regno donaretur: atque idem ſub Auguſto aliud alibi *Sacerdotium Deæ Romæ, & Auguſti* ſuſcipere, quod ſibi reges, Romanis obnoxii, minime indecorum putabant.

In

In Asia minore plurium regionum APXIEPEIΣ *Summi Sacerdotes*, & IEPEIΣ Sacerdotes, numis inscripti apud VAILLANTIUM occurrunt: (*q*) *Apamenorum*, *Ephesiorum*, *Daldianorum*, *Cianorum*, *Eumeneorum* in Phrygia, & forte *Cyzicenorum*: queis nos alibi addidimus (*r*) in Philippi patris numo *Cotiäensium*, in Phrygia (cujus in limitibus sita erat Laodicea Polemonis patria) Summum Sacerdotem: ΕΠΙ. ΠΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩC. ΚΟΤΙΑЄΩΝ. *Sub Publio Pontico Summo Sacerdote Cotiäensium*: cum figura Cybeles, leonum biga vectæ. Polemonem nostrum in Laodiceæ suæ regione *Summum Sacerdotem* Jovis fuisse, credibile faciunt & fulmen, in numo nostro exhibitum, & Laodiceæ, ad Lycum sitæ, numi apud VAILLANTIUM, qui fere ubique JOVEM PHILALETHEN exhibent, aut Caput

(q) VAILLANT. *Numismata Imperatorum Augustarum & Cæss. a populis Romanæ ditionis Græce loquentibus percussi pag. 310.*

(r) *Quatuor tentamina in re Numaria vetere pag. 340. ex Cimelio Granelliano Collegii Vindob. S. J.*

JOVIS HAMMONIS, ſub *Auguſto*, *Nerone*, *Tito*, *Domitiano* &c. (*s*)

Laodiceni Jovis, & fulminis typus hic exhibitus, ad averſæ partis explicationem nos deducit. Fateor Davum me hic eſſe, non Oedipum, ubi de epigraphes ſententia agitur. Neque unde lectionem ordiar, neque cui manca æque, ac integra vocabula, magiſtratui, an populo tribuam, ſatis ſcio. Literas ΛA . . . ad Laodiceam, Polemonis patriam, referendas eſſe, vix dubito; at enim quid τὸ ΔΥΝ. . . ſibi velit, quid KENNATΩ. plane ignoro. Nullius urbis aut populi, Laodiceæ ad Lycum vicini nomen invenio, quod a ΔΥΝ inceptum in ΣΕΩΝ terminaretur.

Quod ſi *Cennatum* aliquem Magiſtratum fingamus, atque τὸ ΔΥΝ. *Dynaſtæ* vocabulo expleamus; tum legi poſſet ita: KEN-
NATΩ

(*s*) *Vaillant libro laudato, pag. 4. 17. 21. &c.*

ΝΑΤΩ (Dorice pro ΚΕΝΝΑΤΟΥ. ſimilia quoque exhibet inſcriptio Cumæa) ΔΥΝαϛϑ, - - - - - - ΣΕΩΝ. Και. ΛΑΟδικεων ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Cennato Dynaſta* - - - - - *ſenſium. Et Laodicenorum Sacræ*, urbis. Solent in hujus Laodiceæ numis magiſtratus nomina exhiberi: ſed *Dynaſtæ* vocabulum nullo in numo invenio. Quare ſi hoc diſpliceat, τὸ ΔΥΝ. aut alterius nominis proprii, aut populi initiale dici poterit. Jam ſi dividere libeat elementa, ac ita legere Κ. ΕΝΝΑΤΩ. tum vel exponerem: καὶ ἐννάτϑ τάγματος; nempe *Laodiceæ Sacræ*, *Et noni ordinis*, inter urbes ejusdem ſacerdotii, & ſacrorum communione ſociatas, vel ita. Κ. ΕΝΝΑΤΩν. Dorice, loco Ενναετῶν, *in vicinia habitantium*, videlicet *Laodiceæ ſacræ* urbis, *Et viciniæ*, iisdem nempe ſacris addictæ. In *Etymologico magno* τὸ ΕΝΝΑΕΤΗΣ hac notione expoſitum lego: Ἐνναέται οἱ περίοικοι. ἀπὸ τῦ ναίω, τὸ οἰκῶ, ναέτης ναέτϑ.

Sed mittamus hæc ſomnia, atque expectemus, dum aut numus integer, aut felicior lector,

lector, clariorem obſcuræ inſcriptioni lucem afferat.

Ad Boſphori regum certa numiſmata ſermonem reflectamus.

Rhœmetalcis, Boſphori regis, numum aureum, qui Hadriani caput, cum regis capite, exſculptum refert, iconiſmo non ſatis accurato primum edidimus : ſubſtituendum hic iconiſmum curavimus, archetypo ſimillimum. Vide *Tab. III. Fig. VI.*

Supereſt, ut duos *Thothorſis*, Boſphorani regis, numos producam e theſauro Savorgnano ; *Thothorſen* ac *Teiranen* Eruditiſſimus CARY omnium primus publicam in lucem protulit : attamen ſequentes duo *Thotorſis* numi, annis anterioribus inſignes ſunt, quam numi ab *Cl. Cary* producti. En illos! præmiſſo *Teiranis* ſingulari numo, ex opere *Caryano*.

BACI-

ΒΑCΙΛΕΩC. ΤΕΙΡΑΝΟΥ. *Regis Teiranis.* Caput diadematum regis, vultu barbato.

Caput laureatum Probi Auguſti, infra: ΓΟΦ *Anno 573. Æneus III. Vide Tab. III. Fig. VII.*

ΒΑCΙΛΕΩC. ΘΟΘΩΡCΟΥ. *Regis Thothorſis.* Caput regis diadematum, imberbi vultu.

Caput Imperatoris, laureatum vel diadematum, ante quod monogramma; infra: ΗΠΦ. *Anno 588. Vide Tabula III. Fig. VIII.*

Similis Thothorſis numus, ſed *Anno* ΑqΦ 591. *Tab. III. Fig. IX.*

In numis Thothorſis, a Cl. Cary vulgatis, leguntur anni: 593. 594. 595. 596. 598. 599. Qui anni omnes, una cum duobus no-

ſtris, intra annos imperii Diocletiani & Valerii Maximiani includuntur, ut mox videbimus.

In gratiam eorum, qui chronologiam numariam amant, aut provehere ſtudent, tabulam ſequentem e numis hactenus productis, confeci, ex qua uno velut aſpectu colligi nullo negotio poterunt: I^mo Nomina & ordo Regum Boſphori, quotque circiter annis regnarint. II^do Anni, in eorundem numis ſignati, III^tio Iidem annorum numeri reducti ad annos Urbis conditæ Varronianos, ita tamen (quod probe teneri velim) ut is annus numi incipiat in autumno præcedente, & finiatur in autumno ipſius Julianæ formæ anni, cujus numerus exprimitur. IV^to Romanorum Principum, & Auguſtorum initium, & finis principatus, ſeu imperii, item in annis Urb. Conditæ, Julianæ formæ, ex TILLEMONTIO. Ex combinatione columnarum hujus tabulæ illico patebit: ſub quo Auguſto

rex

rex quiſque Boſphoranus vixerit ; tum etiam, ſi qui reges, aut regum anni in numis deinceps detegentur, ii nullo negotio in hac tabula locum ſuum, citra erroris periculum, nanciſcentur.

Recepimus in hunc cenſum eos duntaxat numos, qui epochæ Boſphoranæ, vel regni, annos exhibent ; quæ epocha cum eadem ſit cum Regum Ponti æra ; numos etiam regum Ponti, annorum notis inſignes, inſeruimus, eo libentius, quod alioqui reges aliqui Ponto, & Boſphoro ſimul præfuiſſent, ut Mithridates Eupator, Pharnaces, & uterque Polemo.

Nomina Regum Pontî, & Bosphori: & anni regni.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
MITHRADATES V. EVERGETES, Rex Ponti ab anno Urb. Con. 600. ad 630. vel 631.	*Anni Æræ.* 173	630	
MITHRADATES VI. EUPATOR, Rex Ponti ab 631. ad 691. Bosphori ab 639. cedente Pærisade III, ad 675.	209 212 219 221 222 223 224	666 669 676 678 679 680 681	*Cneus Pompejus*, debellat Mithradatem VI. Eupatorem annis 689. 690.
MACHARES ab 675. ad 989.			
PHARNACES ab 690. ad 707. Bosphori, & dein Ponti.	245 247	702 704	*Julius Cæsar*, dictator Pompejum vincit 706 Pharnacem obruit 707 necatur 710
ASANDER Bosphori Archon 707. Dein Rex circa 726. ad 740. Sub Augusto.	*Anni regni* 4 6 7 8 14	*Circiter* 729 731 732 733 739	*Octavianus Cæsar*, Antonii victor 723 *Augustus* vocatur 727

SARI-

Nomina Regum Ponti, & Bosphori: & anni regni.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
SCRIBONIUS Tyrannus circa 740. Sub Augusto.			
POLEMO I. 741. Rex Ponti & Bosphori. Sub Augusto.			obit Augustus 767. 19. Aug.
TIBERIUS JULIUS SAUROMATES. Forte sub Tiberio.			*Tiberius* a 767. 19. Aug. ad 790. in Martio 16, vel 26.
TIBERIUS JULIUS RHESCUPORIS. Sub Tiberio.	*Anni Æræ* 326 331	783 788	
POLEMO II, in Ponto regnat annis 26. Sed in Bosphoro ab 791. ad 795. Sub Cajo.			CAJUS a 790. in Martio ad 794. 24. Januarii.
			TIB. CLAUDIUS ab 794. Januar. ad 807. in Octobri.
COTYS rex fit circa 802. Sub Nerone numi.	352 359	809 816	NERO & AGRIPPINA 807. Octobri Agrippina perit 812. Martio Nero se enecat 821. Junii 9. vel 11.

Nomina Regum Bosphori.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
			Galba ab 821. ad 822. 15. Jan.
			Otto. Vitellius. Vespasianus.
			Vespasianus ab 822. ad 832. Jun.
			Titus ab 832. ad 834. 13. Sept.
RHESCUPORIS II. Sub Domitiano.	380	837	*Domitianus* ab 834. 13. Sept. ad 849. 18. Septemb.
SAUROMATES II.	404	861	TRAJANUS ab 851.
Sub Trajano.	408	865	27. Januar. quo Nerva obiit. ad 870. 8. Augusti.
Sub Hadriano.	413	870	HADRIANUS 870.
	418	875	8. Aug.
	421	878	ad 891. 10. Julii.
	422	879	
COTYS II.	426	883	
Sub Hadriano.	428	885	
RHOEMETALCES	428	885	
Sub Hadriano.	429	886	
	433	890	

Nomina Regum Bosphori.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
Sub Antonino Pio.	440	897	ANTONINUS PIUS
	442	899	891. 10. Julii.
	444	901	ad 914. 7. Martii.
	445	902	
EUPATOR.	452	909	
Sub Antonino Pio.	453	910	
	455	912	
	456	913	
Sub M. Aurelio	459	916	*M. Aurelius.* 914. 7.
& L. Vero.	460	917	Martii.
	461	918	*& Luc. Verus.*
Sub M. Aurelio.	466	923	Verus perit 922. in hieme.
	467	924	Aurelius obit 933.
LEUCANOR, & EUBIOTES. *(Ex Luciano)* Sub M. Aurelio.			17. Mart.
SAUROMATES III.	477	934	*Commodus* 933. 17.
	487	944	Martii.
Sub Commodo.	489	946	perit 945. ultima Decembris.
			Pertinax. Did. Julianus. Pescenius. 946.

Sub

Nomina Regum Bosphori.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
Sub Septimio.	490	947	*Septimius Sever.* 946.
	492	949	2. Junii.
	494	951	*Antoninus* Cæsar. 949.
	495	952	idem Augustus 951.
	501	958	Septimius obit 964. 4. Febr.
RHESCUPORIS III.	511	968	*Antoninus (Caracalla)*
Sub Caracalla.	512	969	964. 4. Febr. Geta necatur 965. in Febr. Antoninus perit 970. 8. April.
Sub Macrino & Elagabalo.			*Macrinus* ab 970. ad 971. in Julio.
			Antoninus Elagabalus ab 971. ad 975. 11. Martii.
Sub Alexandro.	521	978	*Alexander* ab 975. 11.
COTYS III. forte	530	987	Martii ad 988. 19. Martii.
ININTHYMEVUS. Sub Alexandro, vel Maximino.	531	988	*Maximinus* ab 988. ad 991. Martio exeunte 990. pereunt duo *Gordiani Africani*, & *Balbinus* cum *Pupieno*.
RHESCUPORIS IV. Sub Maximino.	531	988	

Sub

Nomina Regum Bosphori.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
Sub Gordiano III.	536 539	993 996	*Gordianus III.* 991. 15. Julii. perit 997. in Martio.
Sub Philippis.	541 542 543 545	998 999 1000 1002	*Philippus* 997. in Martio. Perit cum *Philippo* filio. 1002. post dimidium anni.
Sub Decio.	546 547	1003 1004	*Decius* ab 1002. ad 1004. Octob.
Si *Zosimo* fides, *lib.* 1. circa Valeriani tempora extincta est stirps vetus regum Bosphori, & alia ignobilis successit. Quare numi quidam posteriores *Rhescuporidis* forte alteri *Rhescuporidi V.* tribuendi.	548 549	1005 1006	*Gallus* & *Volusianus* 1004. Novemb. ad 1006. in Majo.
	558 *forte* 560 563	1015 1017 1020	*Valerianus*, & *Gallienus* 1006. in Augusto. *Gallienus* 1013. capto Valeriano. Obit Gallienus 1021. in Martio.
			Claudius ab 1021. ad 1023, quo etiam *Quintillus* perit.

Nomina Regum Bosphori.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
			Aurelianus ab 1023. ad 1028. *Tacitus* ab 1028. ad 1029. & *Florianus.*
TEIRANES. Sub Probo.	573	1030	*Probus* 1029. poſt 13. Auguſti. ad 1035. poſt Julium.
			Carus 1035. ad 1036. Decembri. *Carinus* & *Numerianus* 1036. ad 1037. vel 1038.
THOTHORSES Sub Diocletiano.	588	1045	*Diocletianus* 1037. & *Valer. Maximianus* 1039.
	591	1048	
	593	1050	
	594	1051	Abdicant imperium 1058. 1. Maij.
	596	1053	
	598	1055	*Conſtantius* & *Galer. Maximianus* Auguſti. Mox plures. Mortuo Conſtantio patre, *Conſtantinus* primum proclamatur Auguſtus 1059. 25. Julii.
	599	1056	

Nomina Regum Bosphori.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
SAUROMATES IV. *Ex Constantino Porphyrogenito : lib. de administrando Imperio cap.* 53. Sub Diocletiano.			*Maxentius* Augustus fit 1059.
			Gal. Maximinus Augustus 1061.
			idem extincto Galerio Maximiano Orientem obtinet 1064.
SAUROMATES V. *ex Eodem.* Sub Constantino Magno.			1066. *Licinnius*, mortuo Maximino, orientem regit.
Numus in quo legitur solum annus 608. deleto nomine regis. Sub Maximino.	608	1065	1076. Licinnius victus capitur.
RHESCUPORIS V. (vel VI.) Sub Licinnio.	616 618	1073 1075	Solus *Constantinus M.* imperat.
	620	1077	Anno V. C. 1090. 21.
Sub Constantino M.	621	1078	Maij Constantinus
	622	1079	Magnus obit: *Con-*
	624	1081	*stantinus. Constans.*
			Constantius.

Nomina Regum Bosphori.	*Anni in eorum numis notati.*	*Ad ann. Urb. Cond. reducti. Finis in autumno.*	*Romanorum Principum initium & finis.*
Sub Constantio.	640	1097	1093. In Majo Constantinus perit.
SAUROMATES VI. (*Ex Constantino Porphyrogenito*) postremus rex Bosphori.			1103. Constante occiso, imperat *Constantius* solus, qui & antea Orientem obtinuit ab 1090.

L. D. S.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM.

VVLGARIS NVMERVS PAGINAM INDICAT.

A.

ACROTATUS Arei I. pater. 2. 3. 6. 19. 26.

ACROTATUS II. Arei I. filius. 3. 4. 6. 21. 22. &c. 26.

ADINNIGAI incertum vocabulum, & numiſma 35. 36. *& Tab. I. N. IV.*

ÆMILIUS PAULLUS, vincit Cleonymum. 18. 29.

AGESIPOLIS, Cleombroti fil. 2. 6. 14. &c.

AGIADÆ, & EURYSTHENIDÆ, regum Spartæ ſtirps altera. 17.

AGIS Audoleontis pater. 42.

AGRIPPA Senior, rex. 78. 79. &c.

- - - Ejus numus. *Tab. II. N. IX.*

AGRIPPA rex junior, cum patre in numo. 78.

ALANUS: male lectum, loco BALANUS. 82.

ALEXANDER II. Syriæ rex, quando perierit. 71. 72.

ALEXANDER I. Macedoniæ rex. 52. 53. 55.

ALEXANDRI MAGNI numiſmata multa qua ſpecie. 1. 2.

- - - Regnat annis XII. 15.

AMYNTAS I. Macedonum rex. 52. 54.

AMYNTAS II. Macedon. rex. 15. 52. ad 56.

ANTIGONUS Demetrii fil. Athenas obſidet. 3. 20.

ANTIOCHIS filia Antiochi III. magni. 65. 66.

INDEX.

ANTIOCHUS III. rex Syriæ. 65. 66. 67.

ANTIOCHUS IV. rex Syriæ. 65. &c.

ANTIOCHUS VII. rex Syriæ. 70. 71. 72.

- - - Ejus numus. 69. & *Tab. II. N. I.*

ANTONIUS Marcus, Polemoni I. amicus. 89. 90.

ARATUS Sicyonius. 4. 5.

ARCHELAUS I. & II. Macedoniæ reges, ab 49. ad 60.

- - - Eorum numi descripti 49. 50.

ARCHONTUM Athenienſium ſeries, ubi exhibita. 14.

AREUS I. Spartæ rex: ejus hiſtoria, genealogia & chronologia a pag. 1. ad 31.

- - - Ejus numus *Tab. I. N. I.*

- - - Orthographia 2. 10.

AREUS II. Spartæ rex. 3. 4. 6.

AREUS alius, Spartanus legatus. 12.

ARETAS, ita male ſcribitur AREUS. 8. 9. 10. 12.

ARHIDÆUS & Archidæus. 52. 55. 59.

ARIARATHES V. Cappadociæ rex. 4. 66.

ARISTODEMUS Megalopolis tyrannus. 4. 21. &c. 26.

ARISTON Audoleontis Pæonii filius. 43. 44.

ARSACIS Parthiæ regis, numus. 73. 74. *Tab. II. N. II.*

ARSAMIS, male lectum in numo, loco Samis vel Sami. 63.

ASANDRI regis Boſphori numus. 87. Tempus. 100.

ATHENÆ obſeſſæ a Demetrio. 5. 6.

AUDOLEON, vel AUTOLEON Pæoniæ rex. 39. 45.

- - - Ejus numi. *Tab. I. N. VI. & VII.*

- - - Orthographia nominis. 41. 42.

B.

BÆREBISTAS, vide BYREBISTAS.

BALANUS Galliæ transalpinæ rex. 82. 83.

- - - Ejus numi. *Tab. III. N. I. II. III.*

BARBARÆ FABRICÆ numiſmata 45. &c.

BAYERUS, Theophilus Sigefrid. laudatur. 5.

INDEX.

BOSPHORI regum series & chronologia, cum Romana Augustorum chronologia: ab 100. ad 105.

DE BOZE Vir Clariss. 63.

BOROISTA Dicenæus Getarum instructor & princeps. 37. 38.

BYREBISTAS Strabonis. 37.

C.

CÆSAREA Palæstinæ, & alia Philippi. 80. &c.

- - - Numus Cæsareæ cusus. *Tab. II. N. IX.*

CAJUS (Caligula) IMP. vanus. 79. 80. 81.

CAPILLATI Getæ. 38.

CARANUS rex Macedonum primus. 61. 62.

CARY, auctor historiæ regum Bosphori, laudatur. 48. 84. &c.

CERES in Galliis olim culta. 83. 84.

CLEOMBROTUS, rex Spartæ. 3. 6.

CLEOMENES I. Spartæ rex. 11.

CLEOMENES II. Spartæ rex. 3. 6. 11. 14. &c. 17.

CLEOMENES III. Spartæ rex. 4. 5. 6. 11. 23. 24.

CLEONYMUS Arei patruus. 3. 5. 6. 18. 19. 28. 29.

CLEOPATRA Jubæ II. uxor. 76.

COGNOMEN seu agnomen regum, loco nominis ponunt sæpe historici. 54.

COMOSICUS Getarum rex. *Vide* KOMOSICUS.

CORSINUS Reverendiss. laudatur. 35. 36.

COTYOS regis Thraciæ an numus Thasiorum certus? 47. 48.

COTYS rex Bosphori. 101. 102. 104.

CRETÆ succurrit Areus. 19.

CUMIS in Æolia inventa vetus inscriptio. 91.

D.

DARIUS loco AREUS scriptum. 10.

DECENÆUS vel DICÆNEUS Geta. 37. 38.

DEMETRIUS Phalereus, archon Athenis. 7. 9. 14.

DEMETRIUS Poliorcetes. 3. 5

DEMO-

INDEX.

DEMOPHANES & ECDEMUS Megalopolitani 24.
DIODORUS SICULUS emendatur. 7. 8. 9. 10.
- - - Secum conciliatur. 13. 14. 15.
DYSNICETUS archon Athenis. 14. 54.

E.

ELEI ſtatuas erigunt Areo. 20.
ELEPHAS in numo Jubæ II. 76.
EPHORI Spartani. 3. 17. 18. 28.
EUBIOTES rex Boſphori. 103.
EVERGETES, vide ANTIOCHUS VII.
EUPATOR rex Boſphori. 103.
EURYDICE, Amyntæ II. uxor. 52.
EURYSTHENIDÆ, Spartæ reges. 17.

F.

FABIUS (QUINTUS) Conſul Romanus. 8.
FULMEN in numo 88. 89. 93. 94.

G.

GALLIA TRANSALPINA, Græco etiam idiomate uſa. 83.
- - - Cererem coluit. 83. 84.
GENEALOGICUM ſpecimen duorum Archelaorum Macedoniæ regum. 52.
- - - Duorum Areorum, Spartæ regum. 7. & 17. &c.
GETARUM, duo ordines, pileati & capillati. 38.
GORTYNIOS in Creta juvat Areus. 19.
GOTHORUM. Vide GETARUM.
GYGÆA Amyntæ II. uxor. 52. 59.

H.

HERCULIS figura dubia. 35. *Tab. I. N. IV.*

INDEX.

HERODIS MAGNI annus regni XV. 77. 78.
- - - Ejus numus. *Tab. II. N. VIII.*

I.

ININTHYMEVUS rex Bosphori. 104.
JORNANDIS locus insignis de Getis. 37. 38.
JUBA junior, rex Mauretaniæ. 75. 76.
- - Ejus numi duo. *Tab. II. N. V. VI.*
JUDAICI reges Herodiadæ. 77. &c.
JUPPITER Sedens in Numis. 1. 2. 72. & *Tab. I. N. I.*
- - - Philalethes. 93.
- - - Hammon. 93. 94.

K.

KOMOSICUS Getarum rex & sacerdos. 36. 37. 38. 39.
- - - Ejus numus. *Tab. I. N. V.*

L.

LACEDÆMONII, eorum urbs obsessa a Pyrrho. 5. 6.
- - - Regum eorum Chronologiæ pars. 7. 17. 18. &c.
LAODICEA Cariæ, 88. 89.
M. LIVIUS DEXTER, consul. 29.
LEONIDAS Cleonymi fil. rex Spartæ. 3. 4. 21.
LEUCANOR rex Bosphori. 103.
LUXUS Spartanos corrumpit. 22.
LYDIADIS, tyranni Megalopolitani mentio. 23.
LYSIMACHUS Pæoniam dolo capit. 44.

M.

MACCHABÆORUM LIB. II. locus comprobatur. 70. 71.
MACEDONIÆ REGUM Genealogiæ pars. 52.
CAJUS MARCIUS consul Romanus. 8.
MAURETANIÆ regum numi quidam. 75. 76.

INDEX.

MENELAUS Tharrhaleus Amyntæ II. pater. 52. 53. &c.

MENELAUS Amyntæ II. filius. 52. 58. 59.

MEURSIUS laudatur, ſupplетur. 9. 10.

MINNISARI incertum vocabulum, & numiſma. 35. 36. *Tab. I. N. IV.*

MITHRADATES V. Evergetes, rex Ponti. 100.

MITHRADATES VI. EUPATOR rex Ponti. 100.

MITHRADATES filius Ariarathis V. Cappadociæ R. 65. 66.

N.

NUMISMATA barbaræ fabricæ. 45. &c.

NUMISMATA Perſica conquirenda, & exhibenda, etſi ignota lectio. 74. 75.

O.

OLYNTHUS deſtructa a Philippo. 59.

ONIARES loco Areus ſcriptum. 10.

ONIAS I. pontifex Judæorum, ad quem Areus I. ſcripſit epiſtolam. 13. confer cum præcedentibus. 17. 31.

- - - Moritur. 18.

ONIAS II. pontifex Judæorum, ad quem non ſpectat epiſtola Arei. 27. 28. &c.

ORESTES rex Macedoniæ. 52. 56. 57. 58.

ORZINES ſeu ORDINES Perſa. 33.

P.

PÆONIÆ reges, & ſitus. 40. &c.

PARTHICORUM regum numi incerti ordinis. 74.

PAUSAMÆ locus dubius. 22. &c. alius 28.

PERSIÆ regum numi. 74. 75. *Tab. II. N. III. IV.*

PHARNACES Ponti rex. 87. 100.

- - - Ejus numus, & verus vultus. *Tab. III. N. IV.*

PHILIPPUS Alexandri I. Macedoniæ regis filius. 52. 55. 56.

INDEX.

PHILIPPUS Macedoniæ rex, Alexandri M. pater regnat fere XXV. annis. 15. 23. 58. 59. 60.
- - - Numi ejus. 45.
PHILOPOEMENES. 24. 25.
PILEATI Getæ. 38.
PLUTARCHI locus explicatur. 22. &c. 39. 40.
POLEMO I. pontifex, dein rex 88. &c. 91. &c. 101.
- - - Ejus numus. *Tab. III. N. V.*
POLEMO II. 101.
PONTIFEX Judæorum. 13. 17. 18. 31.
- - - Getarum 38.
- - - Græcorum in Asia minore. 90. 91. 92. 93.
- - - Deæ Romæ, & Augusti. 91. 92.
PTOLEMÆUS, rex Mauretaniæ. 76. 77.
- - - Ejus numus. *Tab. II. N. VII.*
PYRRHUS rex Epiri. 5. 6.
- - - Ejus acta in Spartanos. 19. 28. 29. 30. 43.

Q.

QUADRIGÆ ad triumphum, & ad processum consularem adhibitæ. 79. 80.
T. QUINTIUS Flaminius, Philopœmeni synchronus. 24.

R.

REGES exteri Romanorum principum adscivere nomina. 89. 90.
REINERUS REINECCIUS laudatur. 40. 62.
- - - Corrigitur. 55. 57.
RHESCUPORIS. Hoc nomine plures Bosphori reges. 101. 102. 104. &c.
RHOEMETALCES rex Bosphori. 96.
- - - Ejus numus *Tab. III. N. VI.*
RICHTERUS Vir Cl. laudatur. 48. 85.
ROMANORUM IMPERATORUM anni imperii primis tribus sæculis, & parte quarti. ab 100. ad 105.

INDEX.

S.

SACERDOS Deæ Romæ, & Augusti. 91. 92.
SALIANI JACOBI S. J. Sententia de Areo, & Onia refutatur. 27. ad 31.
SAMUS rex. 67. 68.
- - - Ejus numi duo. 63. 64. *Tab. I. N. VIII. IX.*
SARIAS, vel ZARIAS rex ignotus. 32. 33. 34.
- - - Ejus numi duo *Tab. I. Fig. II. & III.*
SATROPACES dux Persicus. 44.
SAVORGNAN ANTONIUS, Marchio, & Senator ac XVIR Venetiis, laudatur. 1. 32. 69. 71. 73. 75. 77. 79. 82.
SAUROMATÆ tres Bosphori reges. 101. 102. 103.
SCRIBONIUS Bosphori tyrannus. 101.
SIMON Pontifex Judæorum. 18.
SPARTANI, vide LACEDÆMONII.
SYRIÆ REGUM numi. 69. &c. 72.

T.

TARENTINIS Spartani succurrunt. 3. 5.
TEIRANIS regis Bosphori numus *Tab. III. N. VII.* 97.
THARRHALEUS cognomen. 52. &c.
THASIORUM numi, etiam barbari. 47. 48.
THOTHORSIS regis Bosphori numi. *Tab. III. N. VIII. IX.*
- - - Anni varii in numis ejusdem. 97. 98.
TIGRANES rex Armeniæ a filio infestatur. 34. 96. 97.
TILLEMONTII Chronologiæ usus. 98. 100. &c.
TRIBUNI militares quatuor Romæ loco Consulum. 14.
TZETZÆ poetæ locus memorabilis. 41.

V.

VICTORIÆ figura in numis. *Tab. I. N. IX. & X.* 64.

VUL-

INDEX.

VULTUS diverſitas, diverſos ejusdem nominis reges arguit. 49. 50.

W.

WERNSDORFFII, Gottlieb, conatus fruſtraneus. 31. & præcedentia. 71.

X.

XERXES rex Armoſatenus 64. 65. 66. 67.

Z.

ZARIAS rex incognitus. 32. 33. 34.
- - - Ejus numi duo. *Tab. I. Fig. II. & III.*

ZARIASPES Perſa. 33.

ZARIASTER ſeu SARIASTER Tigranis filius. 33. 34.

ZENO pater Polemonis. 89. 91.

FINIS.

INDEX

Tab. I.

II
ÆR

IV
ÆR

VI
AR

VIII
ÆR

X
ÆR

Tab. II.

II

AR

IV

AR

VI

AR

VIII

ÆR

ΒΑΣΙΛ
ΑΓΡΙΠΠΑ
Γ

Tab. III.

I

ÆR

II

ÆR

III

Æ

IV

ÆR

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ

ΜΕΤΑΛΟΥ ΦΑΡΝΑΚΟΥ

V

ÆR

VI

ÆR

VII

ÆR

ΓΟΦ

VIII

ÆR

ΗΠΦ

IX

ÆR

MATERIA
TENTAMINIS PVBLICI,
QVOD IN
COLLEGIO REGIO THERESIANO
SOCIETATIS IESV
EX
ANNI HVIVS SCHOLASTICI PRÆLECTIONIBVS
QVOVIS, CVI LIBVERIT, PERICLITANTE
SVBIBIT
ILLVSTRISSIMVS DOMINVS
IOANNES VDALRICVS
L. B. DE THAVONAT,
PHILOSOPHIÆ, MATHESEOS, ET HISTORIÆ
IN SECVNDVM ANNVM AVDITOR.
Menſe Septembri Die *M D C C L V.*

VIENNÆ AVSTRIÆ,
Typis IOANNIS THOMÆ TRATTNER, Cæs. Reg. Mai. Aulæ
Typographi & Bibliopolæ.

EX INTRODVCTIONE IN HISTORIAM

QVÆSTIONES.

Quid eſt Hiſtoria? Quæ diviſio ratione materiæ, & temporis?

Quænam ſunt præcipue neceſſaria ad perfectam Hiſtoriam?

Veritas Hiſtoriæ quibus monumentis nititur?

Quænam præter Hiſtoricos monumenta auctoritatem faciunt, & qualia certo ævo magis accommodata?

Quomodo Hiſtoria fit plena, & perſpicua?

Quid Genealogia, & Character? Unde Genealogia petenda?
Quotuplex utilitas ex Hiſtoria?

EX COSMOGRAPHIA

QVÆSTIONES.

Quid Coſmographia? ſub qua ratione mundum conſiderat?

Quotuplex eſt ſolis motus? Quid poli, & unde eorum nomina?

Quid eſt circulus maximus? Quot eorum conſiderantur in ſphæra artificiali?

Quid Ecliptica? cur ita dicitur?

Quid Æquator, quæ ratio nominis, quis ſitus reſpectu polorum?

Quid Zodiacus, cur ita dictus, cur tam latus?

Quis ſignorum numerus, nomina, ordo?

Quomodo quatuor anni tempora dividit?

Quid eſt Meridianus, cur ita dictus? quot meridiani? quid meridianus univerſalis in ſphæra?

Quid Horizon aſtronomicus? unde ſic dictus?

Quid Zenith & Nadir? Quid circulus verticalis? Quis uſus verticalium?

Quid altitudo viſa & vera? Quid altitudo meridiana?

Quid latitudo loci, & altitudo poli?

Quid linea meridiana?

Quid declinatio ſolis, & ſtellarum, & quotuplex?

Quid longitudo loci, & differentia longitudinum?

Quid ſunt circuli minores in ſphæra? quot & quales Zonæ?

Quomodo appellantur incolæ Zonarum ratione umbræ meridianæ, quam projiciunt?

Quid Antipodes? Antœci? Periœci?

Quid Sphæra recta? parallela? obliqua?

Quod fundamentum opticum mapparum geographicarum?

Quænam ſigna in mappis adhiberi ſolent? Quid indicant?

THEOREMA.

Demonſtrare latitudinem loci, & altitudinem poli eſſe æqualia.

PROBLEMATA.

Invenire, & demonſtrare inventam lineam meridianam.

Ope declinationis ſolis vel ſtellarum latitudinem loci invenire.

Altitudinem poli ope ſtellarum polo vicinarum invenire.

Invenire longitudinum differentiam per ecclipſes.

Collocare ſphæram artificialem ita, ut pro dato quovis die poſſit ſciri longitudo diei & noctis, altitudo ſolis, quæcunque declinatio ſolis, amplitudo ortiva, & occidua.

Conſtruere ſphæram artificialem; & circulos, item loca particularia in ea deſignare.

Sphæræ portiones in charta ita delineare, ut globo adglutinatæ, ſuperficiem ſphæræ cum ſuis circulis exhibeant.

Ad leges perſpectivæ gradus in mappa geographica dividere.

Delineare mappas generales, & æquatoriam, & polarem.

Mappam regionis particularis, non valde magnam, conſtruere, aut jam factam talem mappam majori vel minori forma exhibere.

Data

Data latitudine & longitudine, quævis loca mappis inſcribere.

E mappis jam factis latitudinem, longitudinem, & diſtantiam geographicam locorum eruere.

Scalam milliarium deſcribere.

EX CHRONOLOGIA QVÆSTIONES.

Quid eſt Chronologia? quid tempus medium? quid verum?

Quis ſolis motus conſideratur a Chronologia? quid dies artificialis & naturalis? quæ diviſio partium diei?

Quid annus ſolaris tropicus, Julianus, civilis, fixus & vagus?

Quotuplex motus lunæ conſideratur in Chronologia? quid menſis ſynodicus, & periodicus? quæ præcipuæ phaſes menſis ſynodici?

Quid Eccliſes ſolis, & lunæ, & qua phaſi fiunt? quando recurrunt?

Quid menſes civiles, pleni, & cavi?

Quid

Quid annus lunaris fixus, & vagus?

Quis, quando, & quomodo correxit Calendarium Romanum?

Unde latina menſium nomina, item germanica ſunt orta?

Exponatur ratio veteris Calendarii Romani, item menſis diviſio, & dies numerandi ratio?

Quid hebdomas, quæ ejus diviſio in Eccleſia, apud Judæos, Gentiles, Germanos?

Quid Olympias, Luſtrum, Jobelæum, Sæculum, annus magnus Ægyptiacus?

Unde initium diei pendet? item initia menſium, & annorum?

Quid Epocha? quæ celebriores epochæ ante Chriſtum natum?

Quid cyclus lunæ?

Quid cyclus ſolis?

Quid cyclus indictionis?

Quando Paſcha eſt celebrandum? a quo & quando ejus tempus definitum?

Quando Romanum Calendarium eſt correctum, & a quo? qui errores irrepſerunt ob curſum ſolis, & lunæ? quomodo correcti?

Quid reſpondendum impugnatoribus Calendarii Gregoriani?

PRO-

PROBLEMATA.

Reducere annos alterius Epochæ, ad annos æræ Chriſti.

Invenire cyclum lunæ, literam dominicalem, & cyclum indictionis.

Dato anno Chriſti invenire Paſcha Calendarii veteris.

Dato anno Chriſti invenire Paſcha Calendarii novi.

EX HISTORIA.

AB ORBE CONDITO AD ÆRAM CHRISTI

QVÆSTIONES.

Quo anno periodi Julianæ, & quo ante æram Chriſti mundus conditus? certusne annus orbis conditi? quo ordine dierum omnia creata?

Quæ de ſitu paradiſi celebriores ſententiæ? quænam? & cur videtur probabilior?

Qui Patriarchæ ante diluvium? quæ cauſa, quod tempus diluvii? quæ artium initia?

Qui Patriarchæ poſt diluvium?

An & cûr tempus Patriarcharum poſt diluvium 760. annis longius videtur ſtatuendum, quam illud Petavius definiverit?

An & cur Cainan omittitur inter Patriarchas poſt diluvium?

Quæ præcipue notanda ab Abrahamo uſque ad exitum Iſraelis ex Ægypto?

Quæ initia hiſtoriæ profanæ, e quibus auctoribus petenda, quæ regna antiquiſſima?

Exitus Iſraelis ex Ægypto quomodo ſe habuit? & peregrinatio per deſertum?

Quo anno cœpere Hebræorum Judices? quæ ex illorum hiſtoria præcipue notanda?

Quæ initia regni Iſrael? cur & quomodo diviſum regnum?

Quando cœpta captivitas populi Iſrael, quando finita? qui inſtauratores urbis & templi? quæ apud Judæos reipublicæ forma uſque ad Machabæos?

Quæ Monarchiæ Aſſyriæ vices?

Quæ Monarchiæ Perſicæ initia? quæ in ea præ reliquis memorabilia?

Res præcipuæ ab Alexandro M. geſtæ quænam? quid ab ejus obitu tot regnis factum?

Quæ Romæ primordia, vices, & incrementa?

Quæ prima rudimenta ſcientiæ numariæ veteris, tum quoad numiſmata græca regum, & urbium græcarum, tum quoad latina familiarum uſque ad Auguſtum?

Quis Judæorum ſtatus ſub Machabæis, Polemarchis, Hierarchis, & Regibus?

EX

OPTICA, CATOPTRICA, ET DIOPTRICA

QVÆSTIONES.

Quid ſit, & qua de re tractet Optica, Catoptrica, Dioptrica?

Quid viſio directa, reflexa, & refracta?

Quæ lex reflexionis, & refractionis radiorum?

Quid angulus incidentiæ & reflexionis; inclinationis, refractionis, & refractus?

Quibus partibus conſtat oculus humanus?

Qua ratione imago in oculo depingitur?

Qui Presbytæ, qui Myopes dicuntur? unde eorum vitia oriuntur?

Qualis esse debet oculi constitutio, ut objecta tam remota, quam vicina distincte videantur?

Cur objecta vicina citius; remota tardius moveri; remotissima vero (licet celerrime moveantur) penitus quiescere videntur?

Cur objecta duobus oculis visa non apparent gemina?

Qui sunt effectus præcipui specularum concavorum, & vitrorum lentiformium?

Quæ specula & vitra caustica maxime celebrata?

Quæ præcipua telescopiorum, & microscopiorum genera? quibus partibus constant singula?

Quid est, & quomodo construitur camera obscura, lucerna magica, aliæque cistulæ tum catoptricæ, tum dioptricæ?

THEOREMATA.

Ex quolibet objecti visibilis puncto in pupillam incidit conus radiosus, cujus vertex in objecto, basis in pupilla.

Si

Si diſtantia objecti eſt major quam 140. pedum, radii hunc conum conſtituentes ſunt ad ſenſum paralleli.

Lumen, per radios divergentes in medio uniformi propagatum, decreſcit in ratione inverſa duplicata diſtantiarum.

Quodvis corpus opacum, dum illuminatur, poſt tergum umbram facit, lumini, a quo colluſtratur, adverſam.

Si corpus illuminatum, & illuminans ſunt ſphæræ ejuſdem magnitudinis, umbra cylindrica; ſi ſphæra illuminans eſt major, conica; ſi demum illuminata eſt major, calathiformis erit.

Si ſphæra illuminans major eſt quam opaca, illuminatur pars hemiſphærio major.

Quæ ſub eodem vel æquali angulo videntur, apparent æqualia.

Diverſæ magnitudines ſub æquali angulo conſpectæ ſunt ut diſtantiæ.

Si imagines duorum objectorum in oculo contiguæ ſunt, ipſa quoque objecta contigua videntur.

Ejusdem plani infra oculum poſiti partes remotiores apparent vicinioribus altiores.

Si oculus intra parallelas ponatur, parallelæ verſus plagam oppoſitam convergere videntur.

Quorum pupilla nimium ampliata ſatis coarctari non poteſt, ii in luce debiliori melius vident, quam in clariori.

Myopibus ad diſtincte videndum minor lux ſufficit, quam Presbytis.

A quolibet puncto ſpeculi reflectuntur radii ex qualibet objecti parte incidentes.

In ſpeculo quodlibet objecti punctum videtur in concurſu catheti incidentiæ, & radii reflexi.

Imago poſt ſpeculum planum I^mo erecta: II^do ejusdem cum objecto magnitudinis: III^tio tanto intervallo remota videtur, quanto ipſum objectum ante ſpeculum diſtat.

In ſpeculo ſphærico convexo imago I^mo erecta, II^do objecto ipſo longe minor, III^tio intra centrum & ſuperficiem ſpeculi apparet.

In ſpeculo ſphærico cavo, pro diverſo ſitu tum oculi tum objecti, imago jam erecta, jam inverſa, jam intra, jam extra ſpeculum videtur.

In ſpeculo cylindrico verticaliter erecto objecta apparent in ſua altitudine, ſed admodum

dum gracilia, in eodem vero horizontaliter collocato objectum apparet in ſua latitudine, ſed admodum curtum.

Radii cum axe paralleli in ſpeculum ſphæricum cavum incidentes, ſi punctum incidentiæ 60. gradibus, aut amplius ab axe diſtat, poſt reflexionem in ipſam ſpeculi ſuperficiem relabuntur.

Si vero punctum incidentiæ minus quam 60. gradibus diſtat ab axe, radii paralleli poſt reflexionem cum axe concurrunt.

Hoc punctum concurſus ſeu focus, in quem radii cum axe paralleli colliguntur, ſemper minus diſtat a ſpeculo, quam quarta parte diametri.

Etiam radii convergentes, & divergentes ope ſpeculi cavi ſphærici colliguntur, horum quidem focus magis, illorum minus diſtat a ſpeculo, quam focus radiorum parallelorum.

Speculum cavum parabolicum omnes radios axi parallelos, ſub quacunque latitudine incidentes, ad eundem focum reflectit.

Si in foco ſpeculi cavi ponatur lumen, radii in ſpeculum incidentes tum cum axe, tum inter ſe fiunt paralleli; ſi ponatur intra focum, & ſpeculum, poſt reflexionem

diver-

divergunt; ſi intra centrum & focúm, convergunt.

Radius lucis in quodcunque vitrum, vel aliud diaphanum perpendiculariter incidens non refringitur.

Radius oblique per planum vitreum transiens in ingreſſu & egreſſu ita refringitur, ut poſt duplicem refractionem radius refractus incidenti ſit parallelus.

Hæc gemina refractio objecta altiore, quam ſint, loco conſtituit, figuram tamen non mutat.

Radii cum axe paralleli in lentem convexam incidentes ita refringuntur in tranſitu, ut poſt lentem cum axe concurrant.

Diſtantia foci in lentibus plano-convexis integram fere diametrum; in utrinque convexis ſemidiametrum; in ſphæra integra quartam diametri partem adæquat.

Etiam radii convergentes, & divergentes colliguntur poſt lentem, hi quidem in majore, illi in minore a lente diſtantia, quam paralleli.

Lentes convexæ objectorum, quorum radios recipiunt, imagines inverſas poſt ſe, intervallo foci depingunt.

Quo

Quo minoris ſphæræ ſegmentum eſt lens convexa, eo vicinior ipſi lenti eſt focus.

Pro diverſa tum oculi, tum objecti a lente diſtantia, imago jam erecta, & aucta, jam inverſa, & imminuta apparet.

Radii in lentem concavam incidentes poſt refractionem non colliguntur, ſed eo magis ab axe divergunt, quo longius progrediuntur.

Objecta per lentes cavas erecta, ſed multo minora apparent.

Ad viſionem claram comparandam Myopibus vitra concava, Presbytis convexa ſerviunt.

Per vitrum polyedrum tot apparent ejusdem objecti imagines, quot in eo ſunt planæ ſuperficies.

PROBLEMATA.

Data altitudine corporis opaci, & altitudine ſolis ſupra horizontem, longitudinem umbræ:

Data altitudine corporis, & longitudine umbræ, altitudinem ſolis:

Data altitudine ſolis, & longitudine umbræ, altitudinem corporis:

Cognita longitudine umbræ duorum corporum, & altitudine unius, altitudinem alterius:

Cognita objecti ab oculo diſtantia, & cognito angulo, ſub quo videtur objectum, veram illius magnitudinem:

Cognita objecti magnitudine una cum angulo viſorio, illius diſtantiam invenire.

Ope ſpeculi plani altitudinem acceſſam metiri.

Legem refractionis, quam radii ex aere in vitrum, & ex hoc in aerem tranſeuntes ſubeunt definire.

Viam radii per lentem tranſeuntis delineare.

Determinare, ex qua vicinæ turris altitudine longitudo horti adjacentis maxima appareat.

Deſignare duo vel plura loca, e quibus idem objectum ſub eodem angulo videtur.

Determinare rationem denſitatis, quam habent radii in foco collecti ad radios per totum ſpeculum, vel vitrum cauſticum ſparſos.

EX PYROTECHNIA.

QVÆSTIONES.

Quid Pyrotechnia? quæ illius diviſio? qui præcipui Scriptores?

Quod examen pulveris pyrii, & quibus experientiis ejusdem vires elaſticæ nituntur?

Quæ præcipuæ pulveris pyrii compoſitiones?

Qui ceteri ignes bellici, qui feſtivi?

Quid metallum, & quæ ratio miſcibilium partium in metallo pro machinis pyrotechnicis deſtinato?

Quid calibra? ſpatium vacuum? regula calibræ?

Quid tormentum & mortarium? quæ partes eorum præcipuæ & genera?

Quid inſititium tormentum? tormentum & mortarium lapidarium? qui horum uſus?

Quid in ſpecie circa formam tormentorum ſervandum? & unde melior ejusdem determinatio extitit?

Quid jactus horizontalis, quid arcuatus? quis jactus Vaubanianus peculiarior?

Quis eſt jactus maximæ elevationis? quid amplitudo & directio jactus?

Quid lorica, ſtratum, inciſura? & quæ menſuræ partium præcipuæ?

Qui ſuggeſtus tormentorum æque ac mortariorum?

Quid ſunt cuniculi? quid camera? & quibus legibus quantitas pulveris pyrii ſubvertendæ moli accommoda determinatur?

THEOREMATA.

Præcipua parabolæ proprietas eſt, quod quadrata ſemiordinatarum ſint inter ſe, ut abſciſſæ.

Projecta directione horizontali vel ad horizontem inclinata deſcribunt curvam parabolicam.

Subtangens in vertice parabolæ diviſa eſt in duas partes æquales.

Amplitudines jactuum ſunt inter ſe, ut ſinus angulorum elevationis duplorum.

Amplitudo jactus ſub elevatione 45° eſt dupla amplitudinis ſub elevatione 15°.

Celeritas corporis projecti directione horizontali eſt æqualis celeritati, quam ac-

qui-

quireret cadendo per quartam partem parametri axis.

Celeritas corporis projecti directione obliqua eſt æqualis celeritati, quam acquireret cadendo per quartam partem parametri diametri, quæ tranſit per punctum projectionis.

Amplitudo maxima eſt dupla quartæ partis parametri diametri correſpondentis puncto projectionis.

Spatium parabolicum eſt æquale duabus tertiis parallelogrammi circumſcripti.

Conoides parabolicum eſt ſubduplum cylindri ſuper eadem baſi & ejusdem altitudinis.

Spatium a cuniculo excavatum pro conoide parabolico habendum eſt.

PROBLEMATA.

Pulverem pyrium conficere.

Bombarum vitia detegere.

Saccum pyrotechnicum machinæ ballisticæ adaptare.

Globorum numerum in quovis aggeſto cumulo tam ex tabulis, quam ex formulis algebraicis determinare.

Invenire diametrum globi unius libræ, & inde regulam calibræ parare.

Examinare regulam calibræ.

Data diametro globi bilibris &c. invenire diametrum pro ſingulis ſemiunciis libræ.

Data diametro globi quotvis librarum, invenire diametrum globi libram unam appendentis.

Spatium vacuum in Machinis reperire, iisdemque globorum diametros conformare.

Metallum ex vario ære pro machinis miſcere.

Ex data calibra globi, longitudinem tormenti, & ex data tormenti longitudine, quantitatem pulveris pyrii pro fartura determinare.

Menſuras pulveris pyrii parare.

Tormentum & mortarium delineare.

Tormentum ad ſcopum dirigere tam in jactu horizontali, quam arcuato.

Mortarium ita elevare, ut cum horizonte efficiat angulum datum.

Scalam pro amplitudinibus & angulis inclinationum inveniendis methodo Hireana perficere.

Invenire ſemicirculum pro omnibus amplitudinibus, quæ ſub eadem fartura pro diverſis angulis inclinationum haberi poſſunt.

Ferire objectum ſupra vel infra horizontalem lineam ſuggeſtus poſitum.

Inciſuras loricarum in conſpectu hoſtis parare vel immutare.

Suggeſtus tormentorum & mortariorum conſtruere.

Ex data linea minimæ reſiſtentiæ perficere calculum molis, a cuniculo ſubvertendæ.

Cameram cuniculi, ejusdemque farturam determinare.

ASSERTIONES
EX
ETHICA, ET IVRE NATVRÆ.

Ethica eſt diſciplina dirigens actiones humanas ad honeſtatem, felicitatis humanæ gratia.

Feli-

Felicitas naturalis hominis conſiſtit in poſſeſſione ſummi boni, nempe DEI, qui rerum omnium eſt finis ultimus, ab homine per cognitionem, & amorem poſſidendus.

Actio ut homini in laudem, vel vituperium imputabilis ſit, debet eſſe voluntaria, & libera; rationem voluntatis tollit ignorantia antecedens, & invincibilis, non vero ſubſequens, neque metus, neque vis ulla, niſi relate ad actus externos.

Honeſtas actionis ſita eſt in ejus conformitate cum prima regula morum, quæ eſt voluntas DEI.

Hæc eadem DEI voluntas neceſſario prohibens ea, quæ hominem a fine ſuo avertunt, & præcipiens, quæ ad illum conſequendum ſunt neceſſaria, eſt naturæ lex omnibus hominibus per rationem naturalem promulgata, omnesque, ſi rationis compotes ſint, obligans.

Unde præcepta naturæ generalia, & quæ cum his perſpicuam habent connexionem, ignorari invincibiliter non poſſunt, nec DEVS ut Legislator.

Principium cognoſcendi juris naturæ ſaltem ultimum non eſt amor DEO, ſibi ipſi, &

aliis

aliis naturaliter debitus, nec felicitas humana, nec convenientia cum vita ſociali hominis, ſed DEUS infinite perfectus.

Jus naturæ aliud eſt affirmativum, aliud negativum, utrumque eſt abſolutum ſemper, & immutabile.

Præcipitur jure naturæ agnitio DEI, ejusque cultus tam interior, quam exterior; ex adverſo prohibetur Atheiſmus, Polytheiſmus, Idolomania.

Eodem jure vetitum eſt ſe ipſum directe occidere, aut mutilare, item famam & facultates projicere.

Cuivis autem naturali jure conceſſum eſt ſe, resque ſuas etiam cum cæde iniqui aggreſſoris defendendi, dummodo neceſſitatis & moderaminis limites non excedat.

Ad tuendam nihilominus famam, & honorem, cædes iniqui aggreſſoris permiſſa non eſt, hinc nec duellum ad licitam ſui defenſionem referri poteſt.

Jure naturæ vetitum eſt omne omnino mendacium; licita tamen ambigua locutio, cum reſtrictione non pure mentali.

Jusjurandum pariter licitum eſt, ſi ſit de re vera, & honeſta, nec temere adhibeatur.

EX

PHYSICA GENERALI.

DE CORPORIS PROPRIETATIBVS, ET PRINCIPIIS

QVÆSTIONES.

Quid ſubſtantia? proprietas? accidens?

Quæ corporum proprietates apud omnes receptæ? quæ controverſæ?

Quid extenſio? impenetrabilitas? diviſibilitas? mobilitas? gravitas? attractio? vis repulſiva? &c.

Quid de principiis corporum notandum?

Quæ conditiones requiruntur, ut principium dicatur ſenſibile?

Quæ præcipuæ de corporum principiis ſententiæ?

Quæ Chemicorum principia? quid de ſingulis notandum?

DE MOTV

QVÆSTIONES.

Quid motus? quid motus ſimplex? æquabilis? acceleratus, aut retardatus?

Quid

Quid vis motrix? pondus? directio motus? ſpatium? celeritas? maſſa? volumen? momentum? denſum? rarum?

Quæ leges motus?

THEOREMATA.

Spatia ab eodem mobili diverſis temporibus motu æquabili confecta ſunt ut facta ex tempore, & celeritate, unde

Tempora ſunt in ratione compoſita ex directa ſpatiorum, & reciproca celeritatum.

Corpus, a duabus viribus non directe oppoſitis impulſum, deſcribit diagonalem.

Spatia, quæ motu uniformiter accelerato, ab eodem mobili diverſis temporibus deſcribuntur, ſunt ut quadrata temporum, vel celeritatum. Hinc

Tempora, & celeritates progrediuntur ut numeri naturales 1. 2. 3. &c. ſpatia vero ſingulis temporibus confecta ut numeri impares: 1. 3. 5. 7. &c.

Mobile, quod motu uniformiter accelerato, vel retardato fertur, conficit ſubduplum illius ſpatii, quod conficeret, ſi celeritate fi-

nali motus accelerati, vel initiali motus retardati æquabiliter moveretur.

Si corpus a duabus viribus impellatur, ita, ut ab una incitetur ad motum æquabilem, ab altera ad acceleratum, vel retardatum, parabola deſcribitur.

Quantitas motus in corporibus, motu æquabili impulſis, eſt in ratione compoſita, directa maſſæ & celeritatis.

PROBLEMATA.

Eruere alterutrius ex mobilibus vel ſpatium, vel celeritatem, vel tempus.

Determinare vim, quæ ex duabus compoſitis remanet.

Datis tribus, vel quatuor &c. viribus compoſitam eruere.

Determinare maſſas, vel ſpatia, vel celeritates, vel tempora ex theoremate de quantitate motus.

DE CENTRO GRAVITATIS

QVÆSTIONES.

Quid centrum gravitatis? quid magnitudinis?

Quid

Quid linea directionis corporis gravis? quid basis?

Quæ gravia heterogenea, quæ homogenea?

THEOREMATA.

Corpora quiescunt, si eorum distantia a puncto suspensionis est ponderibus reciproce proportionalis.

Si linea directionis centri gravitatis cadit intra basim, corpus non potest labi; cadet autem versus eam partem, versus quam extra basim cadit linea directionis extra basim.

PROBLEMATA.

Datis quibuscunque corporibus eorum centrum gravitatis commune invenire.

Invenire centrum gravitatis perimetri trianguli, figuræ regularis, vel irregularis.

Invenire centrum gravitatis experimentaliter.

DE COLLISIONE CORPORVM QVÆSTIONES.

Quid ſit ictus centralis?
Quid corpora dura, elaſtica, mollia?

THEOREMATA.

Si duo corpora perfecte dura colliduntur, quorum alterum quieſcit, celeritas incurrentis dividitur in utrumque pro ratione maſſarum.

Si utrumque perfecte durum celeritate inæquali verſus eandem plagam movetur, differentia celeritatis dividitur in utrumque dicto modo.

Si duo mobilia perfecte dura viribus æqualibus concurrant, motus poſt impactum nullus erit.

In concurſu corporum, quorum celeritas diverſa eſt, idem fit, quod fieret, ſi unum quieſceret, alterum vero differentia virium incurreret.

In perfecte elaſticis incurrens poſt ictum, duplam quantitatem motus illius perdit, quam per-

perdidiſſet, ſi utrumque perfecte durum fuiſſet. Quieſcens autem duplam quantitatem motus illius acquirit, quam acquiſiviſſet, ſi perfecte dura fuiſſent.

DE MACHINIS SIMPLICIBVS

QVÆSTIONES

Quid nomine Machinarum ſimplicium intelligitur?

Quid vectis? quotuplex?

Quid hypomochlium? quid radius?

Quid planum inclinatum?

Quid cuneus?

Quid cochlea? quotuplex? quid trochlea, polyſpaſtum?

Quæ inſtrumenta ad cuneum revocantur?

THEOREMATA.

In vecte potentia eſt ad pondus in ratione reciproca diſtantiæ ab hypomochlio.

Potentia in trochlea fixa juvat tantum ad directionem, non vero compendium virium eſt;

In

In trochlea vero mobili pondus ſuſtentat, ſi eſt ſubdupla ponderis.

In polyſpaſto potentia eſt ad pondus, ut unum ad numerum funium tenſorum.

Ut ſuſtentetur pondus ope axis in peritrochio, debet potentia eſſe ad pondus, ut radius cylindri, cui funis circumvolvitur, ad radium circuli, cui potentia applicatur.

Ut potentia, ope plani inclinati, pondus ſuſtentet trudendo horizontaliter, debet eſſe ad reſiſtentiam ponderis, ut altitudo plani inclinati ad cathetum, quæ cum altitudine angulum rectum comprehendit.

Ut ope cochleæ ſuſtentetur pondus, requiritur ea vis, quæ ſit ad illud, ut diſtantia duarum helicum ad peripheriam cylindri cochleæ.

Ut ope cunei ſuſtentetur pondus, potentia debet eſſe ad illius reſiſtentiam, ut latitudo baſis cunei ad ejusdem altitudinem.

DE IMPEDIMENTIS MOTVS.

Quid eſt medium? quid affrictus? quid reflexio? quid refractio?

Quid

Quid corpora ſolida? liquida? glabra, vel lævia? aſpera?

Quot modis creſcere, quot modis immi-nui poteſt affrictus?

THEOREMATA.

Omne medium quantumcunque tenue reſiſtit.

Angulus incidentiæ eſt æqualis angulo reflexionis.

DE MOTV GRAVIVM PER PLANA INCLINATA

QVÆSTIONES.

Quid gravitas abſoluta? quid reſpectiva?

Quæ præcipua gravitatis phænomena?

Quomodo ſciri poteſt gravitas ſpecifica corporum in data quantitate?

THEOREMATA.

Gravitas reſpectiva corporis per planum inclinatum labentis eſt ad gravitatem abſolutam, ut altitudo plani ad ejus longitudinem.

Si plura plana inclinata ſimilia ad eundem angulum inclinentur, tempora, quibus ea a mobili percurruntur, ſunt in ratione ſubduplicata longitudinum planorum.

Tempora, quibus arcus ſimiles percurruntur, ſunt in ratione ſubduplicata radiorum.

Mobile per planum inclinatum deſcendens in infimo puncto eam acquirit celeritatem, vi cujus mutata directione poſſit ad eandem altitudinem aſcendere.

DE PENDVLIS

QVÆSTIONES.

Quid pendulum? quid ejus longitudo? Quid oſcillatio? quid oſcillationes iſochronæ?

Quid cyclois? quid pendulum præſtat inter duas ſemicycloides motum?

THEOREMATA.

Numeri oſcillationum, quas pendula inæqualis longitudinis eodem tempore conficiunt, ſunt in ratione ſubduplicata longitudinum reci-

pro-

ciproca. Seu quadrata numerorum oscillationum sunt reciproce ut longitudines.

Numeri oscillationum, quas pendula ejusdem massæ & longitudinis dato tempore conficiunt, sunt in ratione subduplicata directa virium acceleratricium.

DE ÆQVILIBRIO, ET PRESSIONE LIQVIDORVM

QVÆSTIONES.

Quid fluidum? liquidum? humidum?

Quæ liquida ejusdem gravitatis specificæ dicuntur?

Quæ specifice graviora?

Quid momentum pressionis in liquidis? quid sipho anatomicus?

THEOREMATA.

Si quotcunque tubi in fundo communicent, æquali se momento premunt.

Fluidum juxta omnes suas partes prope fundum, & in æqualibus a fundo distantiis æqualiter premitur.

Fluidum juxta omnes ſuas partes quaquaverſum æqualiter premitur.

Celeritates, quibus fluida proſiliunt ad datas altitudines ſunt in ratione ſubduplicata altitudinum.

Vis, qua totum aliquod corpus in fluido premitur, æquatur ſuperficiei in altitudinem fluidi ductæ, quæ eſt a ſuperficie fluidi usque ad centrum gravitatis commune ſuperficiei corporis demerſi.

Si planum aliquod parallelogrammum oblique immerſum ſit fluido, ita premitur, ac ſi in ſitu horizontali poneretur in ea altitudine, qua ejus centrum gravitatis a ſuperficie fluidi diſtat.

Fluida non obſtante mutua preſſione, ſua gravitate ſingularum partium deorſum premunt.

Altitudines diverſorum fluidorum in tubis communicantibus ſunt in ratione reciproca ſpecificæ gravitatis.

Preſſio liquidorum in fundos vaſorum æquatur baſi in altitudinem ductæ.

Corpus ſpecifice gravius in fluido leviori tantum ſui ponderis amittit, quantum eſt pondus fluidi ſub eodem volumine.

Cor-

Corpus ſpecifice levius in liquido graviori eousque immergitur, donec pondus liquidi ſub volumine partis merſæ æquetur ponderi totius corporis innatantis.

Corpus in liquido ejusdem gravitatis ſpecificæ totum præciſe mergitur, & ubicunque intra illud poſitum quieſcit.

DE ATTRACTIONE

QVÆSTIONES.

Quid nomine attractionis intelligitur?

Quæ phænomena cogunt ad leges quasdam extraordinarias recurrere?

Suntne inter hæc etiam phænomena tubulorum capillarium, & quæ?

Quæ ſunt leges attractionis?

THEOREMATA.

In cono baſis ſphæricæ omnes ſectiones baſi parallelæ æquali vi attrahunt particulam in vertice coni conſtitutam.

Attractio coni majoris eſt ad attractionem coni minoris in eandem particulam in ratione laterum homologorum coni.

Unde in corporibus ſimilibus ad ſimiliter poſitas particulas attractio eſt in ratione laterum homologorum.

Particula minima ſita intra ſphæram cavam extra ejus centrum, ſi ſphæra eſt in æqualibus a centro diſtantiis homogenea, undique æqualiter trahitur.

Attractio partium minimarum intra ſphæram poſitarum in ſphæram eſt in ratione directa diſtantiarum a centro.

Gravitas, qua corpora in ſe mutuo gravitant, ſi conferuntur cum gravitate in totam terram, inſenſibilis eſt.

DE DIVISIBILITATE, ET POROSITATE CORPORVM QVÆSTIONES.

Quæ phænomena ſtupendæ diviſibilitatis?
Unde poroſitas corporum demonſtratur?
Cur corpora quædam, licet valde poroſa ſint, aquam tamen, vel alios liquores non transmittunt?
Cur aliqua corpora determinatos tantum liquores transmittunt, non item alios?

DE

DE SONO
QVÆSTIONES.

Quid ſonus?

Quid reflexio ſoni? quæ naturæ phænomena de hac ſoni reflexione memoratu digna?

Quomodo augeri poteſt ſonus?

Quid tuba acuſtica?

Quanta ſoni celeritas?

Quid auget, vel impedit celeritatem ſoni?

An per alia etiam corpora, quàm per aerem propagatur?

Quomodo ſonus excitari poteſt in una chorda per pulſum alterius conſonæ?

ASSERTIONES
EX
PHYSICA GENERALI.

Idea corporis ſenſibilis recte exprimitur, per proprietates omnes corporis cognitas, unde corpus dicitur ſubſtantia extenſa, impenetrabilis, diviſibilis, mobilis &c.

Si

Si principia immediata corporis ſenſibilis ſpectantur, quinque elementa chemica recte ſtatuuntur.

Inter reliquas corporum proprietates etiam vim inertiæ cenſemus;

Ex qua, modo vis ejus infinita non ſit, mobilitatem ſequi neceſſe eſt.

Quantitas vis inertiæ, qua motui reſiſtit, ſi maſſæ ſunt æquales, par eſt celeritati, qua poſt ictum moventur; alias autem proportionalis eſt maſſis quam proxime.

Actio, qua corpus motum in quieſcens agit, eſt inſtantanea, ſi corpus ſit perfecte durum, ſecus non eſt.

Ad explicandum aſcenſum liquorum in tubis capillaribus;

Ad explicanda phænomena gravitatis;

Ad ſolutionem, & præcipitationem metallorum; cryſtalliſationem ſalium &c. exponenda utimur attractione.

Vis elaſtica corporum petitur a vi repulſiva, vel expanſiva ignis.

Liquiditas corporum habetur ab igne, qui liquidorum partes in motu perpetuo conſervat.

Ad

Ad ſonum requirimus motum tremulum partium minimarum elaſticarum corporis ſonori, & motum tremulum, ac oſcillatorium aeris, motui corporis ſonori analogum.

EX

PHYSICA SPECIALI.

DE CORPORIBVS COELESTIBVS

QVÆSTIONES.

Quale ſyſtema Tycho?

Quale Copernicus ſtatuit?

Quomodo diſtantia planetarum, vel tempus periodicum inveniri poſſunt?

Quomodo aſtrorum motus explicari poteſt?

Quid de fixarum numero? lumine? motu apparente? magnitudine? diſtantia notatu dignum?

Quæ ſtellæ novæ? quæ nebuloſæ dicuntur?

Cujus figuræ, & naturæ eſt ſol?

Quid de ſolis maculis notatu dignum? quæ præcipuæ de his maculis ſententiæ?

Quid lumen zodiacale?

Quid de Saturno? Jove? Marte? Venere? Mercurio? & Luna philoſopho ſciendum?

Quæ controverſia de figura telluris?

Quid ſunt ecclipſes? quomodo fiunt?

Quid de cometis notandum? quid de cometarum caudis?

DE LVCE.

Quæ nunc præcipuæ de luce ſententiæ?

Quæ phænomena lucis præprimis explicanda?

Quæ corpora diaphana? quæ opaca? & unde dicuntur?

Quam refractionem patitur lux? quomodo explicatur?

Quæ obſervationes de lucis refractione ſingulariter commemorandæ?

Qui colores emphatici? qui principales?

Quid album? quid nigrum?

DE IGNE.

Quæ igni proprietates tribuuntur? quomodo explicandæ?

Quomodo ignis excitari poteſt attritu? percuſſione celeri? commixtione liquorum?

dire-

directione radiorum parallelorum, conjunctione eorundem?

Quid eſt flamma?

An aer neceſſarius ad ignem?

Quid pabulum ignis vocatur? quod eſt ejus pabulum?

Quid & quotuplex eſt phosphorus?

Quomodo parandi pulveres, qui in tenebris lucent?

Quid ſunt ignes centrales? quid ſubterranei?

Quid thermometra? quale præferendum reliquis?

DE AERE.

Quid de aeris fluiditate? ſubtilitate? ſeparabilitate? preſſione? elaſticitate notandum?

An aer gravis, an & quantum comprimi, ac dilatari poteſt?

Quid atmoſphæra? an ejus altitudo accurate ſciri poteſt?

An aer atmoſphæricus nobis neceſſarius? & quibus ſub conditionibus?

An aer generatur in corporibus?

Quid Baroſcopium, ſeu Barometrum? quid Hygroſcopium? quid Manoſcopium?

Quomodo parantur?

Quæ obſervationes in his factæ? quomodo explicandæ?

Quæ præcipue phænomena ab aeris gravitate pendent?

DE AQVA.

Quæ ſunt aquæ proprietates?

Quid de ejus vi expanſiva in vaporibus? vi ſolvendi &c. præcipue notandum?

Quomodo puritas ejus cognoſci poteſt?

Quomodo pura reddi? & conſervari?

Quæ præcipue ſententiæ de fontium origine?

Quæ phænomena æſtus maris? quomodo explicanda?

An congelatio fiat per particulas frigorificas?

Quomodo fit? quomodo artificialis?

Quomodo regelatio?

DE TERRA.

Quid de ſuperficie globi terraquei notandum?

In quot præcipue claſſes terra dividitur?

Quæ eſt origo, & incrementum lapidum?

Quid

Quid de metallis, ſemimetallis, & ſalibus foſſilibus ſciendum?

Quæ eorum origo?

Quid in ſpecie de auro, argento, mercurio &c. notandum?

Quid de magnete in genere?

Quid de ejus attractione?

Quid de vi communicativa? Armatura? Directione? Declinatione? Inclinatione notatu dignum?

Quæ eſt de ejus phænomenis P. Boſcovich ſententia?

DE METEORIS AQVEIS.

Unde tot in atmoſphæra noſtra vapores?

Quid nebula? quid nubes? quid & quotuplex pluvia?

Quid Preſter? quid ros? quid pruina? quid grando? quid nix?

DE EMPHATICIS.

Quid & quotuplex Iris? quomodo formatur? quid Halo? quid Parelia? quid Parafelenæ?

DE IGNEIS.

Quid fulgor? quid fulmen? quid globi aut bolides? quid ſtellæ cadentes? quid

capreæ, aliique ignes fatui? quid aurora borealis?

DE AEREIS.

Quæ ſunt meteora aerea? quid venti? quid de eorum celeritate? quid de tempore? quid de directione &c. obſervatum? quæ cauſa?

DE ELECTRICITATE.

Quid eſt electricitas? quæ phænomena attractionis? repulſionis? lucis? communicationis? propagationis?

Quid de concuſſione, & ictu fulmineo notandum?

Quæ ſunt corpora electrica? quæ idioelectrica? quæ ſymperielectrica?

Quæ congrua horum phænomenorum explicatio?

DE PLANTIS.

Quæ plantarum ſtructura?

Quæ phænomena de motibus plantarum?

Unde nutriuntur plantæ, quid ad earum incrementum conducit?

Quid & quomodo fit inſitio?

Quid tumores in plantis?

Quo-

Quomodo degenerant?
Qui plantarum morbi?
Quid de fungis? quid de muſco? quid de plantis marinis notandum?

ASSERTIONES
EX
PHYSICA SPECIALI.

Syſtema Copernici phænomenis explicandis aptius eſt, ac Tychonis.

Cometæ ſunt ſpecies planetarum.

Caudæ cometarum vapores ſunt; qui a capite aſſurgunt in partes ſolis oppoſitas.

Lux non fit per emiſſionem effluviorum e corporibus lucentibus;

Sed eſt æther, cui a corporibus lucentibus motus oſcillatorius imprimitur.

Colores a diverſa radiorum refrangibilitate pendent.

Corporum opacorum colores per tenſionem, & elaſticitatem partium explicantur, vi quarum hujus potius motus, præ alio capaces fiunt.

Ignis

Ignis in motu ætheris positus est.

Dantur ignes centrales, & subterranei.

Per pressionem aeris atmosphærici suspensionem aquæ ad 32. pedes; mercurii ad 28. circiter digitos; phænomena siphonum &c. explicamus.

Fontes alii a mari, alii a pluviis, & nivibus; alii a vaporibus oriuntur.

Congelatio fit per egressum particularum ignearum.

Terra nostra ad polos videtur esse depressa.

O. A. M. D. G. ET B. V. S. L. C. H.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Fröhlich, Erasmus

Erasmi Froelich Ad numismata regum veterum anecdota, aut rariora accessio nova

Viennae Austriae [1755]

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/4Hist.pol.153a
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11062398-5
VD18 10913041-004